

VITA ET MARTYRIVM EDMVNDI CAMPIANI MARTYRIS ANGLI E' SOCIETATE IESV.

AVCTORE PAVLO BOMBINO ex eadem Societate.


Editio posterior ab Auctore multis aucta partibus, & emendata.



MANTVÆ, Apud Fratres Osannas Ducales Impressores. CIϽ. IϽ C. X X.

Inprimis Rg. P. D. Thomæ Cantine





SERENISSIMO

FERDINANDO GONZAGÆ

MANTVÆ DVCI VI.
MONTISFERRATI IV.

Paulus Bombinus è Soc. IESV. *F.*



PIETAS tua, Serenissime Dux, præcelsique fastigium ingenij regijs istis natalibus æqualia, me iampridem ex occulto monuerant, vt breuem hunc de Campiani martyris victoria commentarium, sub tuis auspicijs in famæ periculum ad

mercatum longæuitatis emitterem. Hanc ego diu, vel fortuitam, vel naturalem arbitratus sum animi erga te propensionem mei: qua, seu dextro, fortasse fortunati, libelli genio, ad faustum hoc honestorum laborum domicilium forte deuoluerer, siue sponte quadam libere vagantis ingenij, ad ingeniorum communem hunc portum ex naturæ destinatione appellerem. Verum vbi Roma Mantuam accersitu tuo veni; illudque ex te ipso, inter egregia animi tui ornamenta cognoui; singulari te quadam religione Campianum colere, propterea quod aduersus execratã tibi super omnes pestes hæresim, fortissime moriens, depugnarit: tum enimuero intellexi, priorem illum animi mei in te motum, non inconsultum fuisse incitatæ mentis impetum, sed diuinum animæ cœlestis afflatum, quo Beati martyris clientem quærebam, dum mihi quærerem patronum. Non

est ergo quod pluribus meum hoc, vt fieri solet, in Campiano tibi inscribendo, consilium vel excusem, vel exornem: excusationes enim, tua in eum pietas præuertit: ornamenta, nominis ipse fulgor tui, & benignitas in me tot iam argumentis, supra omnem æstimationem illustris, repræsentant. Vale.

MANTVÆ, Idibus Iulijs Anno sal. cond. cIɔ. Iɔc. xx.

ADMONITIO AD LECTOREM.

AMICE Lector paucis te monitum volo. quæ ab hac Mantuana dissentiant Campiani mei editiones à me pro meis non tolli. Fluxerunt illæ ab Antuerpiensi prima, quæ à nimis beneuolo curatore, inter imprimendum, me absente, faciem alicubi, quam pro mea neutiquam agnoscerem, accepit. Et vero exempli non optimi res est, alienos libros ab arbitrarijs quibusdam iudicibus, quasi liberos, parentibus inauditis, indefensos mutilari, aut peregrinis quibusdam notis inuri. Hoc pro me. Pro Campiano illud addo. Prodijsse nuper eius nomine, ac titulo multa, quæ eius non esse vel stylus clamat, vel argumentum: quod ipse, si aliquem, vt spero, styli gustum, & Campiani habes, per te animaduertes. Ego, præter decem rationum libellum, ac duas, tresue epistolas, quicquid eius nomine circumfertur, suppositititium reor, aut exercitationis gratia ab eius discipulis ex eius dictis excerptum, dum olim ille Pragæ Rhetoricam doceret: aut Campiano ducente ab ipsis eius auditoribus scriptum, leuiterque pro eorum captu ab illo emendatum. Tu tuo iudicio vtere, & vale.

CATHOLICIS ANGLIS INVICTISSIMIS CHRISTI MILITIBVS

Paulus Bombinus è Societate IESV, *salutem & victoriam.*

INTER plaudentes frequentibus vestris de Satana triumphis inermes homines, vnum habetis de plebe me, fortissimi CHRISTI milites. Aspernaturos plausum non esse vos arbitror, qui noritis Imperatori potius illum CHRISTO, cuius ductu, auspicio, manu, cruce vincitis; quam vobis, dari. Plausus porro vobis à nemine splendidior meo iudicio datur, quam ab eo qui pugnas ipsas vestras & partarum victoriarum exudatos sanguine labores sine fuco posteris exponit. Habent enim hoc facta Heroum excellentia, vt luculenter ipsa narratione laudentur. Feci id ego in eorum rebus toleratis, gestisque explicandis, qui è Societate IESV vobiscum certantes, vobiscum vicere commilitones vestri decem, ab Edmundo Campiano qui præiuit, ad Henricum Garnettum, qui clauserat eo anno, quo id ego mentis cepi, tam constans, tam fortunatum agmen. Personius eam mihi post Deum mentem iniecit;

est; vir & vobis carus, & hostibus formidatus, & omnibus admirandus. Abijt ille ad superos, dum affectum opus limam expectabat. Mihi multa præuertere alieno iussu necesse fuit, quibus etiamnum ita distineor, vt vix vnum hunc Campianum vobis ipsis flagitantibus expedire potuerim; reliquos vbi Deus fauerit, daturus. Vnum vos interea Campianum ita intuemini, vt intelligatis nobis ita esse persuasum, si Campianus exemplum sit victricis fortitudinis; vos omnes in vno illo spectari, in vno illo vobis omnibus singillatim plaudi. Valete inuictissimi CHRISTI milites, & vincite ad exemplum etiam ceterorum, qui iam (vt S. Cyprianus loquitur) martyria vestra, exempla fecistis.

Clarissimi viri Gasparis Scioppij operis approbatio.

AVctoritate Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Francisci Episcopi Mantuani, Marchionis Hostiani, Sacri Romani Imperij Principis, & Comitis de Gonzaga, libellum de Vita, & Martyrio Edmundi Campiani perattente legi, neque quicquam in eo inueni, quod editionem morari potius, quam maturare, debeat. Præterquam enim quod gloriæ diuinæ, & vtilitatis publicæ multis modis interest tam egregia animi, & ingenij ornamenta, quibus præditus fuit Campianus, præcipue autem immanes cruciatus, ipsamque mortem, non vllius sceleris, aut migratæ legis (quod nemo ne ex ipsis quidem sectarijs insimulare audeat, nisi cuius frons omnino depuduerit) sed vnius Catholicæ Religionis causa, ingenti animi constantia toleratam ad exempli imitationem posteris prodi: tum etiam fraudandi non videntur ceteri maxima illa voluptate, quam ego me legendo tam castæ, & emendatæ dictionis, tamque exquisitæ elegantiæ libro cepisse fateor, & clarissimæ confessionis Martyri dignum præconem obtigisse lætor. Mantuæ in Arce Serenissimi Ducis, vbi literis, & literatis LOCUS, & LAUTIA munifice præbentur, a. d. v. Id. Martij Anni 1620.

Gaspar Scioppius Cæsarius, & Regius Consiliarius.

Alia.

Mandato Admodum R. P. Fratris Hieronymi Medices è Camerino Ordinis Prædicatorum Inquiſitoris Generalis Mantuæ, tamquam Conſultor Sacræ Inquiſitionis legi librum Patris Pauli Bombini Societatis noſtræ, de Vita, & Martyrio P. Edmundi Campiani è Societate noſtra, & in eo nihil reperi, quod non valere poſſit ad tuendam, & confirmandam Catholicam fidem. Mantuæ die 15. Iulij anno 1620.


Ego Alexander Caprara
è Societate Ieſu.

Stante atteſtatione Adm. R. P. Alexandri Caprara è Societate Ieſu Conſultoris S. Officij Mantuæ, cui à S. Officio demandata eſt reuiſio libri Adm. R. P. Pauli Bombini ex eadem Societate, de Vita, & Martyrio P. Edmundi Campiani ex dicta Societate, conceditur vt imprimi poſſit. Dat. ex S. Offic. Mantuæ die 16. Iulij 1620.

Fr. Hieronymus de Medicis à Camerino
Inquiſitor Mantuæ.

Imprimatur ſtantibus prædictis
Bartholomeus Barchius Vicarius
Generalis Epiſcop.

Imprimatur de mandato ſuæ Celſitudinis.
Annibal Chieppius Conſiliarius.



INDEX CAPITVM.


In

tores

Cam-

Ad

Errata	*sic*	*Corrige*
Pag. 10.	maxim	maxime
11.	eadem	eandem
137.	vendiderit	venderet
227.	veritatis	veritati
229.	magis	magnis
236.	persuadeamus	persuademus



VITA ET MARTYRIVM EDMVNDI CAMPIANI MARTYRIS ANGLI E SOCIETATE IESV.

CAPVT I.

Eius patria, ortus, indoles, pueritia, studia litterarum.



DMVNDVS CAMPIANVS ætatis nostræ Martyr in omnem posteritatem memorabilis, a. d. octauum Kal. Febr. ipso S. Pauli à Christo Domino vocati die, Londini, quæ vrbs est Angliæ regia, honestis parentibus, ad annum fundatæ salutis CIↃ. IↃ. XL. natus est. Fuit is annus duobus ex diuerso religiosarum familiarum casibus insignis: alibi veteribus excisis, nouis alibi enascentibus Deo dicatorũ

hominum ordinibus. Eodem quippe anno quadrageſimo ſupra ſeſquimilleſimum, & Henrici, eo nomine octaui, Angliæ Regis furor, Deo ſacrorum hominum cœtus, tota ſua ditione, ab ſtirpe ſcelerate excidit, & diuina beneficentia Societatis IESV exiguum ſurculum Pauli III Pontificis manu in Eccleſiæ ſuæ agro admirabiliter conſeuit. Martyr ergo futurus, patriam cum celeberrimis Angliæ Martyribus vtroque Thoma, Cantuarienſi & Moro; Religioſos Ordines in patriam (dum Societatem IESV inuehit) reuecturus, annum natalem cum religioſarũ tota Anglia occaſu familiarum, cumq; Societatis IESV exortu, communem habuit. Puer Edmundus inter bonas vitæ artes, bonasque litteras, tanta morum feſtiuitate, tantisque præclari argumentis ingenij educatus eſt, vt ad amorem ne ſuauitatis eximiæ, an ad ſingularis admirationem indolis vehementius traheret, in quos incidiſſet, haud facile diſcerneres. Neque vero aut male collocatus amor, aut vana expectatio fuit. Pueri Edmundi facilitas, ac modeſtia ad ætatis progreſſus incrementis conſtantibus adulta, beneuolentiæ materiam auxit in dies: & feliciſſimi præmaturitas ingenij conceptæ ex mirifica indole expectationis euentũ repræſentauit. Etenim duodecimum adhuc ferme natus annum, Mariam immortalitate digniſſimam Principem, Anglici imperij tum primum ſceptra

ca-

capeſſentem, ludimagiſtrorum Londinenſium ſuffragijs ei muneri deſtinatus, eleganti oratione ſalutauit; Deo iam inde tam pio in argumento clariſſimæ olim eloquentiæ primitias conſecrante. Viſa res ſupra ætatem: exceptaque ſingulari fauore Reginæ, plauſu vero multitudinis mirabili. Thomas Vitus certe vir non genere modò, reque publica tractanda, ſed etiam Catholicæ ſtudio religionis nobilis in paucis, eum iam tum (nam dicentem fortè audijt) à præclara ſolum indole notatum, commendatumque, in Sancti Ioannis Baptiſtę Collegium Oxonij à ſe fundatum ſponte cooptauit inter primos. Ita Oxonium, hoc eſt bonarum artium eo tempore mercatum, translatus Edmundus, incredibile dictu eſt quantam de ſe breui apud omnes opinionem excitarit. Nihil ille obſeruantiæ in pręceptores, nihil in condiſcipulos officij, nihil in litteris diligentiæ, nihil ſuauitatis in moribus: quodque conſequens eſt, nihil beneuolentię in omnium voluntate, nihil in omni laude ſummi pręterire: adeò vt in incerto eſſet, vtrum ad omne faſtigium Academicæ dignitatis pluribus ſuorum meritorum, an fauoris alieni ſuffragijs niteretur. Illum ſibi Academia Oratorem, illum ſubinde Procuratorem, vt vocant, conſtituit. Quæ duo ſumma ſunt earum munia ſcholarum, neque niſi lectiſſimis ingenijs communi omnium conſenſu demandantur. Lætus interea

Mariæ Reginæ, idemque Angliæ regno funestiſſimus illuxit dies: quo regius lectiſſimę Principis animus in cęlum euocatus, orbam toto regno pietatem, religionem debilitatam reliquit. Fuit is quintusdecimus Kal. Decembrium, vergēte iam eius ſeculi anno octauo, & quinquageſimo. Exinde noui principatus exordia veteris occaſum religionis traxere ſecum. Facta breui ad peruerſam Caluini normam rei ſacræ inclinatio totam regni faciem corrupit: ea in rerum perturbatione, animorumque corruptela quid Edmundo factum ſit, nihil priuatim pro certo traditur. Ex conſequentis tamen euentu temporis facile apparet publica illum tempeſtate abreptum, fluctibus impiæ procellæ infirmius obſtitiſſe. Ætatem, vt in ipſo adoleſcentiæ æſtu, cæcam, grauiorū diſciplinarum rudem animum, multorum, vt ętate ac dignitate, ita & ſcelere præeuntium exempla exitij cauſas incauto iuueni fuiſſe, alij conijcient. Ego neque has refello, & duas præterea ex ipſius Edmundi litteris, quas ad Richardum Chenæum è Belgio datas ſuo infra loco inſeram, compertas habeo. Primo eam, qua aduerſus annis, eruditione, aut dignitate ſuperiores ducebatur reuerentiam: tum aduerſus bene de ſe merentes gratiam. Quæ duo non malis quorumdam mentibus inſita, flagitioſo interdum obſequio, minimeq; virili verecundia in omne dedecus flectuntur. Vtcumque

res habeat; certum illud eſt, in hæreticorum caſtris non totum hæſiſſe, dum ab illis eſſe viſus eſt, Campianum: ambigentem potius, & vtrinque nutantem, vitam in mœrore, conſilia in ancipiti habuiſſe. Is fluctuantis æſtus animi malè diu preſſus, qua ratione tandem eruperit, operæ pretium eſt cognoſcere.

CAPVT II.

Reginæ Eliſabethæ promiſſa prudenter religionis cauſa negligit.

INſpectionem regni anno ſuperioris ſeculi ſexto & ſexageſimo Regina Eliſabetha inſtituerat. præſens vrbes opidaque adibat, religioni deformandæ potiſſimum intenta. Cui rei quia nullum maius intelligebat eſſe in vtramque partem momentum, quam in omnis generis diſciplinarum traditione, atq; vſu; Oxonienſium potiſſimam ſcholarum ſuſceperat curam. Venit Oxonium comitatu plane regio: excipienda ſcilicet viciſſim ab Academicis litterario theatro non vulgari. Datus in illud eſt publico nomine conſenſuque orator primum, mox de optimis quibuſque artibus diſputator inter præcipuos Campianus; nonnulla apud rectos æſtimatores admiratione. Iam enim nouæ religioni ve-

hementer eum diffidere cœpisse, facilis erat apud notos homines, omnesque condiscipulos coniectura. Etenim neque nouo sacrilegij instituti more cœnam hæreticam frequentasse, neque impurorum gratia mysteriorum ecclesias adijsse auctor est Tarraconensis Episcopus eo libro quo Anglicanæ Ecclesiæ labores Hispanicè persecutus est. Addit vero eo abhorrentis à noua impietate animi signa processisse, vt clàm iussus sit ab ijs, qui à tanta & religione, & ingenio multum impietati metuebant, omnes de religione locos, si qui, vt fit, inter publicè disputandum se offerrent, silentio præterire. Sed pronam Academiæ gratiam Edmundo virtutum ac solidæ eruditionis opinio, constans videlicet prensatrix, non futilis ambitio conciliauerat: eoque post diuersæ religionis suspicionem, qua nulla est atrocior, idem illi omnium fauor, eadem studia constitere. Nec cæcum autem fauorem fuisse, neque studia temeraria exitus probauit. Ex præstantis ingenij in regio consessu exposito fulgore, lux in omne lycæum non exigua redundauit. Tulissetque operæ suæ fructum non pœnitendum ipse priuatim Edmundus, si religione neglecta, caducarum tantū opum rationem habuisset. Eum quippe, tantas florentissimi ingenij dotes admirata, primùm publicè in procerum consessu Regina laudat; tum Roberto Dudlæo Lecestriæ Comiti negotium ornandi extollendiq; iuuenis

nis dat. Gratiosissimus ea tempestate apud Elisabetham Dudlæus erat. Gratiæ conciliatores pauci alios, plerique ætatis ac formæ florem eximium fuisse ferunt. Is ergo ad se euocatum Edmundum vbi exquisitis laudibus extulit; ad illum versus, Est quòd Regiæ Maiestati, inquit, multum debeas iuuenis ingeniose. Nunquam sanè, quantum tua commoda illi curæ sint, quisquam cogitatione assequetur. Iussus ab illa sum diligenter ex te quærere numquid siue tua, siue tuorum causa velis. Vtere regia benignitate: in cuius tutelam receptum te scito, & à qua maiora in dies beneficia expectabis. Neque te rusticus, aut puerilis deterreat à petendo, si quid opus est, pudor. Equidem non modò regio iussu, sed mea etiam causa faciam quæcunque ornamento tibi aut commodo futura erunt, perlibenter: adeo me ista indole es demeritus. Et hæc quidem in præsentia. nam in posterum ne quid tibi cupiendum aut postulandum sit, curæ nobis erit. Hæc fermè Lecestrius. Oblatos etiam honores nescio quos Ecclesiasticos, nec non profanos, fama fert. Neque mirum in recentis auræ fauore cuiquam id erit. Apparebat non inania esse promissa, neque vanas inertis orationis ampullas. Et erat quod posset ad tenuem Edmundi fortunam regia liberalitate adijci. Verùm qui iam illi bonæ mentis iniector Deus magnopere suspectam nouam Angliæ

religionem, immo sacrilegam superstitionem fecerat; idem ille tacito instinctu monuit, videret ne beneficijs regijs irretitus minus liberum haberet ad religionis veritatem profitendam exitum. Hac igitur cogitatione ictus, Regiæ Maiestati primo, tum ipsi priuatim Lecestrio gratias immortales pro tam liberali in se voluntate agit; illam sibi in præsens pro omnibus regijs gazis futuram; neque quicquam sibi aliud in posterum exposcere. Ita non magno solum animo, sed etiam prudenti aureas impietatis pedicas mali dæmonis arte obiectas feliciter elusit. Non dubito quin si cui hæc legendi vnquam cura erit, meam hoc potissimum loco diligentiam sit desideraturus. Videbitur enimvero fuisse, antequam huc deuoluerer, Elisabethæ Reginæ, ipso sui principatus initio, ab Catholica Ecclesia defectio replicanda diligenter; & quasi turbarum omnium, lugubrisque historiæ, quam ingredimur, caput euoluendum accurate. quibus illa artibus intra simulatæ pietatis fines Maria imperante continuerit sese; vtque metu, quo magistro officij vsa erat, post interitum sororis excusso, in liberum apertæ impietatis campum eiecta sit. Inde auita religione proscripta, & Reip. statum funditus conuellerit, & imperij sui primordia fœdissime commaculauerit. Sed hæc ego consulto prætermisi: quippe qui constitutum habeo, neque actum agere, neq;

tumu-

tumulato iam funeri inanes lacrymas dare. Nam & funestissimæ caput hoc historiæ satis iam ex alieno stylo lucis accepit: & mihi partem aliquam lacrymabilis huius insaniæ necessario perstricturo hanc dari veniam volo, vt ab tanto scelere, quo florentissimum regnum concidit tantisper dum narratio instituta non trahit, & oculos & animum auertam.

CAPVT III.

Nouam hęresim examinat.

CEterùm vt ad Campianum reuertamur, liberalia Reginæ, Comitisque Lecestrij promissa illud potius, quam quod volebant, in Edmundi animo, vt dicebam effecere; vt etiam atque etiam quonam per speciosas illas honorum vmbras conijci tandem posset, inspiceret. Videbat enim, si semel dignitates hæreticas admisisset; tanquam pretiosa compede inducta, habiturum in posterum vincula impietatis, quæ quasi præmia diligentiæ in pręsens accepisset. Ea cogitatio salutaris consopitę virtuti accidit. Ad virilem ac strenuam de toto vitæ suæ statu deliberationem, ea vrgente traducitur. Inde bellum intestinum perpessu in primis asperum in eius animo extitit: quo misere vexatus integrum trien-

nium distractusque est, varijs hinc inde dimicantibus de Catholica religione dissimulanda profitendave sententijs. Id ne temere aggrederetur, longe accuratissima de nouæ superstitionis vanitate ineunda disceptatio fuit. Eam enim superstitionem quamuis nunquam plane probauerat, id tamen potius cæco impulsu ad optima delatæ mentis, quam iudicio meliora deligentis animi acciderat. Sacrorum librorum lectio, grauiorumque altior cognitio disciplinarum, eius dimicationis exordium fuit. inde diuina sensim lux ductu placidissimo in caligantis animum illapsa, aperire perniciosam impiorum ludibriorum scenam cœpit. Et quidem pauca primo nouæ religionis, eaque præcipuæ fœditatis capita, albescente iam quasi cælo, absurda in rem attentius inquirenti visa. Mox vt veritatis veritas procreatrix est, animusque deprehensa semel fraude semper suspicax, respectare identidem, atque explorare etiam quæ tuta videntur, suadet: cautè omnia pertentanti plura apparebant creditu impia, auditu noua, affirmatu vana. Demum suspectis iam omnibus, meditando quærendoque vereri cœpit, ne nihil in recente ac lutea illa Babylone firmi stabilisque soli esset. Anceps exinde cura; Nam &c, rem agi sentiebat omnium grauissimam, & tamen eiusmodi vt si quid in ea palàm peccetur, aut temere moueatur, ignominię maxim oportuna

tuna sit. Ergo rem ita moderatur. & summa vi, & rursus altissimo silentio in id vnum cogitationes ac studia intendit. curam rei grauitati, taciturnitatem pudori dabat. Vnus ipse accusatoris, ac patroni partes secum agere, alternisque modò oppugnare recentem insaniam, quæsitis vndique rationibus; modò eadem, refutatis quæ obijciebantur tueri; tentaturus vtrùm ipse sibi vitata alienæ conscientiæ verecundia, de omnibus iam corruptæ religionis capitibus quærenti dubitantiq; posset satisfacere. Cæterùm vbi quæstionibus, quas luce diuina iam auctior animus mouebat, impar ipse, ad diuina oracula, conspirantisque auctoritatem antiquitatis referebat se: implicari dubitationum nodos arctius, auersa à Nouatorum somnijs omni sacra vetustate intelligebat. Tum vero tandem diuexatæ mentis lanienam adeo nouam experiri, vt pudore victo, palàm omnes inuestigandæ vias veritatis insistere decreuerit. Non modò igitur Deum in sacris Litteris, Patres in suis quemque monumentis, in Oecumenicis Concilijs Ecclesiam vniuersam consulere; sed ne amicorum quidem, qui sapere, atque in causa sententiam dicere videbatur posse, cuiquam parcere. Nouatorum sapientissimos, Doctores ipsos corruptæ religionis, & Antistites creberrimis disputationibus quæstionibusque fatigare. Quorum responsis hoc proficiebat, quòd iam diu

suspe-

suspectæ causæ magis diffidebat in dies. Vtique posteaquam veterum auctoritatem Patrum, quorum ipse dictis conuinci se tunc solitum postmodum dictitabat, eque illis aduersam & despectam vidit. Et vero insigne est ad memoriam quod hoc in genere à Tobia Matthæo audiuit. Erat is doctrinæ tunc fama, & eloquentiæ, Episcopatus dein Dunelmensis, postremo Eboracensis etiam Archiepiscopatus insignibus inter Nouatores inclytus. Hunc an salutationis, an litterarum causa cum adijsset olim Campianus, sanctorum lectioni Patrum intentum offendit. Eius quasi miraculo rei attonitus; Et potes inquit, nouas de religione opiniones ex animi tui sententia Tobia sequi, cum Patres legas? Cui ille quasi re ludicra suauiter renidens; Quid ni, inquit, possim? Illi non poterunt, qui eorum ita scripta legunt, vt vera etiam quæ legerint, credant. Ita sanctissimorum Patrum placitis, omnique vetustati Nouatorum vanitas illudit.



CA-

CAPVT IV.

Richardi Chenæi mores, & ad peruertendum Edmundum artes.

HIs, horumque similibus responsis, vt pro Catholicæ religionis professione apud suum ipse animum sententiam ferret, vehementer incitabatur Campianus; fecissetque continuo, nisi nouus labentis hæresis patronus parato iam animi decreto intercessisset. Fuit is Richardus Chenæus è Lutherano grege vir clarus, quem Glocestriensem Episcopum, iubente summa, scilicet, Ecclesiæ moderatrice, dicebant sui: Huius mihi hominis ingenium, mores, artes breui exponere consilium est, eo fructu, vti intelligatur quorumnam tandem consuetudo hominum maxime viscosa atque captiosa sit candidis animis ac liberalibus, exemplo Edmundi; qui contra ceteros inuictus, vni Chenæo, vel noluit repugnare dedititius, vel victus non potuit. Erat hic primo secta Lutheranus. Quod genus hominum inter tot ab Ecclesia Catholica dissidentes copias, quia paruas quasdam ceremonias, ritusque sacrorum Catholicos retinet, minus à nobis longe esse videtur imperitis. Oderat ex Lutheranæ nationis instituto Caluini asseclas: illos præcipuè, qui omni Christianæ religionis vesti-

gio eruendo, puros se Christianos arbitrantur, indeque Puritanorum vulgò nomen inuenere. Nihil illis sanctum, nihil inuiolatum est. omnem sacrum ritum execrantur: omne recte factum peccatum, nullum peccatum expiandum putant: dignitatum gradus confundunt: magistratibus populos, populis religionem, religioni templa, templis sacerdotes, sacerdotibus sacrificia, sacrificijs Christum, Christo diuinitatem, diuinitati cultum adimunt. Denique diuinis humana miscendo hoc facilè consequuntur, vt ex Christianis breui quos occupauere Atheos faciant. In hos inuehebatur identidem summa orationis grauitate Chenæus. Inuidiam secessionis à Catholico conuentu in illos reijciebat omnem, cùm diceret quæ à Pontificijs in Caluini gregem iactarentur verè, paucarum affinitate sententiarum in Protestantes etiam redundasse. Ad eorumdem stultitiam confutandam subinde Patres, Concilia, consensum Ecclesię memorabat. Speciosum sanè agmen, & splendida nomina, quæ in animum Campiani innata quadam, atque adeo quæsita sacræ vetustatis reuerentia occupatum adeo apte descendebant, vt secum amorem boni, vt rebatur, simplicisque senis inueherent. Adhæc morum suauitas in suadente, & natiua ingenij comitas tanta, vt persuadere quiduis, blandè tantùm præeundo, interim tacens posset: tum vero siue na-

turæ

turæ ductu cum Campiano mire cógruentis, siue artis fuco iuuenis saluti blande insidiantis, totam mitissimi lenitatem animi, candidiq; pectoris studia, fouendo, promouendoque Campiano, aduocarat. Quæ gratiæ vincula, quibus ad ingenuos animos obstringendos nihil est validius, nimium quantum gratissimo iuueni iniecere moræ. Ad extremum falsi Episcopatus infulæ, & sexagenarij capitis canities non leue momentum afferebant, quo incauti adolescentis animus, fraude iam atque amore captus, insuper vana reuerentia premeretur. Neque cùm in rem veluti præsentem per familiares altercationes veniretur, orationis lenocinia aberant. Venenatum doctrinæ poculum prorsus melle illitum propinabat. Adeo doctrinæ instillandæ ratio, contra quam hæreticis mos est, lenis Chenæo erat ac placida, paternæ caritatis indicijs mellea, honorum pollicitatione luculenta, opum ostentatione diues. Neque differebat promissorum fidem. & diuitiarum illi, & honorum copiam, quibus ipse plane abundabat, iam totus Edmundo imminens, faciebat è suo. Nihil ex his magis quàm honorum fulgor, cuius cupido nouissimè exuitur, ingentem animum flexit. Eius rei ipsum auctorem habeo Campianum, ea epistola, quam, aperte iam planeque Catholicus, ad Chenæum dedit è Belgio. Dum enim se, quòd Chenæum præsens officij monere neglexerat,

acriter accusat; *Valdè mihi succenseo*, inquit, *qui pulcherrimam hanc ansam exædificandæ fidei, vel nefario pudore, vel scelerata negligentia præterierim, qui paululum adhuc distantem à regno Dei non accenderim confidenter: sed aura fauoris, & gloriæ tuæ potius vmbratilem existimationem honoris mei, quàm sempiternum bonum promouerim.*

CAPVT V.

In fraudem inducitur, mox expeditur, apertèque iam Catholicus in Hiberniam concedit.

HIs artibus in animum iuuenis flagitiose modesti perniciose amans ita irrepsit senex; vt ex male forti Catholico pene firmum faceret Lutheranum. Ergo vt stabili nexu, labantem adhuc, in impia defectione confirmet, sacrilegorum initiorum compedes inijcere misero aggreditur. Modice reluctantem Lutherano Diaconatu (is vnus cum Sacerdotio sacri ordinis implere putatur à Lutheranis Sacramentum) ritu nefario initiat. Ea res infinita partium gratulatione, singulari pseudoëpiscopi gaudio peracta. Ceterum *qui sapientes capit in consilijs suis* Deus, alio rem totam quam quo auctores direxerant, conuertit. Quas profani Diacona-

conatus præstigias ad retinendum Edmundum compedes futuras diaboli satellites crediderant, eas ipse stimulos fecit, quibus præcipitem ex impiorum concilio conscientia sceleris vindex implacabilis eijceret. Narrauit non semel amicis Campianus vixdum tanto in se crimine suscepto, cruciatum experiri agitatæ mentis adeo inusitatum cœpisse; vt non sacrum ordinem admisisse, sed omnis perturbatrices ordinis furias hausisse videretur: nullumque tanto malo remedium nisi in Ecclesiæ, ad quam propere se recepit, sinu inuenire potuisse. Quamquam sedatum ibi potius, quam extinctum tormentum animi ferebat: illud vero tunc omnino conquiesse, cùm se in holocaustum in Societate IESV tradito, deletum bestiæ characterem (ita enim sceleratorum initiorum maculam, seipsum increpitans appellabat) ex ipsa mentis tranquillitate coniecit. Stimulauere etiam sponte incitatam Campiani ab hæreticorum castris fugam Georgij Martini veteris, coniunctissimique per omnia sodalis litteræ, amoris pietatisque plenissimæ, quibus eum vehementer hortatus ex ipsa aula est, ne hæreticis se dignitatibus præpediri sineret. Et fuit non modo flagranti religionis studio Martinus, sed eruditionis quoque, & eloquentiæ laude præsignis. acrimoniam certe dictionis, & animi pietatem vel paucula hæc verba commonstrabunt, ex eius ad Campianum litteris excerpta,

quibus; vt dicebam ab hæreticorum infulis
„ hominem deterret. Veni, inquit, veni. Si
„ poterimus vna viuere, de nihilo ſuſtentabi-
„ mur, ſi hoc parum eſt, de meo. ſi hoc deerit,
„ illud præſto eſt. Qui ſeminant in lacrymis,
„ in exultatione metent. Hunc in modum re-
dire vnde aberrauerat compulſus Edmundus
Eccleſiæ Catholicæ ſuppliciter ambire gra-
tiam: Sacerdotum aduolui pedibus: fateri
crimen: pœnas adeo non recuſare; vt vltro
arceſſeret. Ergo Deo ſibique redditus, iam-
que cautior ex ruina, facile intellexit ciuium
ſuorum conſuetudinem perſanato periculo-
ſam fore, quæ pernicioſa fuiſſet ægrotanti.
Hiberniam inſulam cogitabat, in qua libe-
rius; minus certe periculosè veram coli reli-
gionem cognouerat ex amicis. Commodùm
ſimilitudine ſtudiorum, ac pene contuber-
nio familiaritatem cum Richardo Stanhur-
ſtio Dublinienſi ciue nobili, auitæque reli-
gionis egregio cultore contraxerat. Eius
inuitatu Dublinium (vrbs eſt Hiberniæ
celebris) cum eo victurus concedit,
anno ſalûtis ſupra ſeſquimilleſi-
mum nono ac ſexageſimo. Ita
pro pietate in exilium vo-
luntarium abit, quod
illi primum ope-
rum cæle-
ſtium
fuit.

CA-

CAPVT VI.

Dum non minora ingenij quam probitatis Edmundus in Hibernia imprimit vestigia: noui fluctus aduersus Catholicos excitantur.

LIbere aperteque Catholici iam hinc Edmundi res fortiter toleratas potius quam gestas, & virtutis luculentiora, quam ingenij monumenta peragam. Quamquam vt fuit animo per bonas artes exculti ssimo, non tam abiecisse, quam ad sanctimoniæ famulatum transtulisse litteras videtur. Primum omnium satis constat eam Dublinij à Campiano viuendi rationem institutam, vt quamuis primas in omni actionum genere pietati daret, aliquem tamen esse stylo ac litterariæ exercitationi locum pateretur. Vtilis ea industria posteritati fuit, duplici feracis ingenij transmisso fœtu. Latinus alter hominem litteris attentum in omnem officij partem ducit, deque homine Academico indicem habet: Anglicus alter, Hibernorum historias, inscriptione ex argumento petita, exequitur. Eo Campianus opere annui domicilij pensionem (tandiu enim Hiberniæ hospitio vsus est,) terræ hospiti persoluit. Sed multo mihi præclarior

illa videtur accepti à Stanhurstio beneficij compensatio, qua vel verbis totam eius familiam, vel, quod efficacius est, exemplis ad omnem sanctimoniam informauit. nunquam certe narrare destitit Stanhurstius tantum fuisse precationis, rerumque sacrarum omnium in Edmundo studium; tantam morum ad omnem modestiæ formam temperationem, tantam in omni vitæ parte grauitatem, vt iam tum (hæc enim Stanhurstij verba sunt) intra religiosa claustra vitam ducere videretur. Illud præcipue summa cum admiratione notatum ferebat sibi, non modò ab omni obscenæ voluptatis illecebra, verum etiam ab ioco, risuque effusiore, procaciore hilaritate, omni denique specie leuitatis, incorruptum iuuenem longissime abhorruisse; Angeli nomen inde impolluta probitate apud Dublinienses consequutum. sibi quidē multis magnisque argumentis esse plane persuasum, virginitati Campiani nullam vnquam labem, seu vitiorum corruptela, siue ætatis lubrico adhæsisse. Verùm dum hæc per tranquillum otium à Campiano agitantur; noui in Anglia motus etiam Hiberniam concussere. Maria Stuarta humanis omnibus iuxta diuinisque instructa ornamentis Regina Scotorum fuit. Ea secundissimæ fortunæ conuersionem sæuissimam experta est. Post duorum immaturum coniugum interitum, è paterno regno impijs popularium armis pulsa,

cogna-

cognatæ Reginæ Elisabethæ opes implorauit. Promissa liberaliter iuxta fallaciterque ab Elisabetha subsidia incautam nihilque ex cognato sanguine fraudis suspectantem decepere. Vbi plena bonæ spei, fines Anglici imperij ingressa est, rerum omnium immutatam faciem agnouit. Satellitium quo numerosissimo hactenus deducta erat, imminutum; libertas compressa; iter impeditum. Ipsa denique specie honoris in amplæ arcis custodia, ac pene vinculis procul à regia habebatur. Eius iam captiuæ querelis, vti postulabat ipsa, excipiendis, audiendæque propemodum causæ Thomas Houardius Nortfolciæ Dux inter Angliæ proceres longe princeps, ab Elisabetha destinatur. Sed is siue formæ, siue sanguinis generisque regij excellentia, siue causæ æquitate victus; amantis retulit animum in aulam, qui ex aula mentem iudicis attulerat. Ne multa: Mariæ matrimonium non sine occulto, vt ferebatur, armorum paratu, ingentisque periculo tumultus affectare clam cœpit. Habuisse dicitur consilij adiutores alijs alios de causis promptos quam plurimos: Catholicos quidem nonnullos ea gratia, quòd Stuartæ pietas labenti iam regno fulcimentum aliquod pollicebatur. Rem denique tantis opibus, tantisque consilijs coniurati promouere, vt proxima successui fuerit. Ne perageretur, Gulielmi Cæcilij astus artesque interuenere. Is rei fauore simulato

 distulit

distulit primo negotium, mox & disturbauit, neque conquieuit antea quam cæso Duce, coniuratis partim nece, partim voluntario exilio sublatis, proximo se Reginamque Elisabetham periculo exemit. Hunc rerum motum quoniam magna ex parte, ex Pij Quinti sacro Decreto ortum duxisse hæretici existimarunt, quo Decreto Elisabethæ ob impietatem, & perfidiam regiũ nomen, ac ius omne imperij publice abrogatum est: omnes effundunt quas iamdiu religionis odio collegerant, in Catholicos irarum procellas. Missi in omnes Anglici imperij partes, qui diligenter hoc genus hominum vestigarent, captosque traderent publice in custodias. Nec segnes habuit crudelitas ministros. oppida, vicos, castella, villas, omnes angulos, latibula omnia diligentissime explorabant. Si quem forte deprehendissent, eum vero barbare vexatum, ludibrioque ferme plebis expositum, longas carcerum ærumnas larga pecunię profusione redimere cogebant: necdum enim capite auita religio luebatur. Tentauit ea sæuitiæ tempestas etiam Hiberniam. Missis in eam insulam Quæsitoribus, rapinis omnia metuque complentur. Incurritque confestim in oculos, qui in suæ virtutis luce conspicuus eminebat Catholicorum sidus Edmundus. Neque diu cunctati, securum Christi militem, piæque vitæ studijs à sensu præsentis periculi alienatum vinculis destinant

in ſequentem diem. Regebat eo tempore Hiberniam Prorex Henricus Sidneyus, cui ſororem in matrimonium Comes Leceſtriæ collocarat. hic an amicitia, an amore virtutis, qui ignotos etiam conciliat, an ſtudio religionis, an innata humanitate victus, Campianum de media nocte capti in eum conſilij certiorem facit. neque ingratus fatendo tanti viri beneficio, neque auertendo periculo ſegnis Edmundus fuit. Gratijs impenſe Proregi actis, incertam primo in inſula fugam mentito cultu, nomine diſſimulato capit. Patritium enim ſe pro Edmundo appellabat. Mox inter varia conſilia aliquantiſper nutanti, tot hoſtium in vnum ſe oculi manuſque tota Hibernia intenti reditum in patriam perſuaſere. Id quo ſuccederet, cultum corporis aſſumpſit, qualem pueri à pedibus Comitis Kildarienſis, cuius in Hibernia magnum nomen opeſque tum erant, circumferre conſueuerant. Ea ſeruilis fortunæ ſpecie nobilis animus tunc primum latuit: eaque defenſus ad Redienſem portum (millia paſſuum viginti eſt à Dublinio) tutior, quam ſecurior peruenit.

CAPVT VII.

Ex hæreticorum manibus diuinitus ereptus, in patriam primo, mox in Belgium migrat.

NAuem, in Angliam transmissurus, in Rediensi portu vix conscenderat Campianus, cum hæreticos quæsitores tergo pene fugientis hærentes, eodem conuolare conspicatur. Diceres odore prædæ ductos canes venaticos vestigijs abeuntis insistere. Ea insequentium celeritas omnem solertiæ vsum ademit trepidanti. Illi vbi nauigio accepti sunt, lustrare omnia, angulos omnes adire, vectores inspicere, miscere vniuersa; cum interim non verbis modo, sed ore, fronte, oculis, toto vultu atroces in Edmundum iacerent minas. Hæc presens ipse omnia spectabat, audiebatque: satis certus rem, si humana præsidia quærerentur, conclamatam esse: sibi fictum nomen habitumq; ludibrio, non tutelæ futurum. Humanis præsidijs desperatis ad diuina conuertit se, effugium à Deo flagitat: precum votorumque interpretem sanctum Patricium adhibet; tum quod in eius tutela Hibernia est, tum quod eius nomen fallendis scrutatoribus per ea tempora præferebat. Non incassum fusæ preces: neque minus Patricij eo tunc defendendo

patro-

patrociniū valuit,quam ad eam diem nomen vero diſſimulando valuerat: Ipſo mirante Campiano, curioſi Quęſitorum oculi, cruentæque manus in expoſitam non ſemel prædam coniectæ,non ſine miraculo diuinæ opis, eluſæ ſunt. Ipſe tanto periculo defunctus, Deo ac præſidi ſuæ incolumitatis agit gratias. Neque multo poſt eadem naui vectus Angliam ex deſtinato tenuit. Ceterum breui in patria intellexit ſibi quidem recens exterorum hoſpitium; hoſtibus vero inueteratum furorem neutiquam relictum. Adeo vndiq; ad vincula quæri ſe,& carceres cognouit. Ad poſtrema igitur conſiliorum ventum eſt. Solum vertere, alieniq́ue imperij terras adire conſtituit. Neque vllus hæc agitanti aptior Belgio occurrebat locus. Et alienæ ditionis, & religionis tutæ, & facilis traiectus; & ciuium ſuorum magni nominis receptu hoſpitalis terra habebatur. Ibi Gulielmum Alanum, Nicolaum Sanderum, Thomam Stapletonum, Guilielmum Briſtoum, ingentia nominis Catholici decora recepiſſe ſe, poſteaquam patria potius, quam religione carere ſtatuerant, ferebat fama. Huc rebus ſuis compoſitis, naui conſcenſa dirigit. Tenebatq́ue tranquillo prouectus curſum: cum improuiſo ſuperuenientis Leporis (nauis eſt regia) Anglico venantis Oceano, præda fuit. Ea ex binis regijs nauibus altera erat, quæ vtrumque Anglię perpetuo latus adnauigant.

Exploratorum ac vigilum loco Angli Reges vtramque circum regni littora in fluctibus esse iam pridem decreuere: simul aduersus hostium insidias ciuiumque fraudes auxilio futuram. Eæ vbi quam conspexere Anglico Oceano nauim, tormentorum fragore iubent vela demittere: nisi paret, vim eo denunciatam tormenti signo, hostiliter inferunt. In eam quæ submissis velis constitit, Quæsitores è regia transiliunt. Si quem iniussu publico, suspectumve alijs coniecturis hominem è regno excessisse comperiunt, proximis Angliæ Magistratibus vinctum sistunt. Ex eo nauium genere Lepus erat. Et quia neque commeatus publice impetrati testimonium habebat vllum, ipseque ob suspensa comitum de eius religione iudicia suspectus erat Edmundus: ea causa cur retraheretur, fuit. Regressi ad littus regij Campianum de more magistratui; magistratus hæretico custodi Londinum auehendum tradit. Custos piraticæ minime ignarus, quod maritimi latrones in fluctu omiserant, occupat in littore. Primum omnium captiui loculos quærit, inuentos clam exhaurit. Pecuniæ calamitate domini salus stetit. Ingens inuasit furacem lictorem timor pœnæ comperti apud Iudices furti persoluendæ cuius indicem testemque nimis certum secum ipse duceret. Ergo consilium à duobus non ignauis suasoribus cupiditate ac perfidia mutuatur. Captiuum adeo

 negli-

negligenter custodire institit; tot fugæ aditus quasi per torporem ac socordiam præbere: vt non esset difficile vincto non hebetissimo intelligere plus à custode sua vincula, quam fugam timeri. Vsus callida hominis negligentia male custoditus Campianus, eadem fuga se custodemque ingenti molestia liberauit. Ex eo tempore nihil ad Belgicum receptum impedimenti nactus; pecuniam ab amicis accipit: ex Anglia soluit: feliciqué nauigatione vsus, Deo verius fauente, quam auris, Belgium, quo intenderat, peruenit.

CAPVT VIII.

Duaci in Belgio in conuictum præstantissimorum suorum ciuium admissus litterarios honores accipit. fraternæ correctionis officium cum Cheneo per litteras absens obit.

HIc primo gratijs Numini impense actis in littore, terrestri itinere Duacum petit, vrbem eius prouinciæ insignem in primis. Ibi eos quos dicebamus viros, multosq; præterea ex ijs, qui patriam, quam religionem deserere maluerant, eodem conuictu, mutuaque non animorum minus, quam domicilij consociatione coniunctos offendit.

lis vita inter litteras, animus inter cœlites erat. Nihil cuiquam antiquius præfecti obedientia, cui voluntate magis parentium, quam iure imperij auctoritas constabat. Vna mensa, vno tecto, vna vitæ forma coaluerant. Inter se fides rara: aduersus ciues caritas profusa: in exteros modestia singularis. Eminebant Nicolaus Sanderus, Thomas Stapletonus, Gulielmus Bristous, Gulielmus Alanus virtute tunc atque eruditione solum, ingenij postmodum etiam præclaris monumentis clari omnes: at Gulielmus Alanus sacra insuper Cardinalatus purpura à Sixto Quinto Pont. maximo accepta, ad virtutis lucem honorum etiam fulgores adiecit. Hic mihi clarissimorum hominum conuentus prætereundus non fuit, propterea quod huiusmodi initijs Anglica Seminaria extitere: quibus deinde in Gallijs, Belgio, Hispania, Romæ frequentibus excitatis, noua subinde soboles aduersus impietatem patriam laborantibus sacerdotibus subsidio mittitur: Martyrumque seges lætissima inde exorta Anglicæ messis olim copiosissimæ spem constantem facit. In horum numerum non volentium modo, sed etiam sibi tantum socium gratulantium, coniectus Campianus diu latere non potuit. Addita veteri de illo famæ noua experimenta amicos perpulere, vt eum ad Baccalaureatum suscipiendum adigerent. Gessit ijs morem, vt erat facilis obsequij; Baccalaureumque se

ritu solemni renunciari passus est, magis amicis obsequendi, quam sibi satisfaciendi voluntate. Iam enim ipse ambitionis inanibus abiectis, totus in componendo animo, conscientiaq; expianda erat. Etenim dum secum ipse per otium præteritæ vitæ rationes inspicit diligentius, excitari magno cum pœnitentiæ morsu stimulum illum senserat, quo toties deploratum sceleratæ dissimulationis in religionis causa peccatum refricabatur. Angebat præter cetera religiosæ mentis virum, prætermissum aduersus Episcopum Glocestriensem, fraternæ monitionis eo tempore officium, quo agnita veritate, linguam tamen vel senis amori, vel pudori inconsulto præposteræque ambitioni turpiter addixit. Reus non modo sui, verum etiam alieni sanguinis, prodita per seruile silentium vtriusq; salute, sibi videbatur. Quamquam enim tanta ætatis honorisque dissimilitudo afferre Campiano aliquam omissi officij excusationem poterat: cum grandæui Episcopi castigandi partes iuuenem priuatum decere minime viderentur; id tamen in tanta Chenæi humanitate, infra omne vel ætatis, vel dignitatis fastigium ad intimam ipsius familiaritatem sese demittentis, leuissimum vulneratæ conscientiæ remedium existimabat. Ceterum præstare, vel sero ad officium redire, quam semper aberrare ratus; exequitur per epistolam absens, quod verbo coram neglexerat.

xerat. Dat ad illum Latine scriptam epistolam, qua hominem vltima senecta iuuenis ipse adhuc ita apte pariter vehementerque calefacit, vt facile ex illa tum ingenij robur, & acrimoniam, tum pietatis ardorem æstuantem agitatæ incendio conscientiæ animaduertas. Eam ego epistolam, quia exemplum Christianæ libertatis est, ingenij atque eloquentiæ notis omnibus illustre, nullo mutato verbo hic exscribo.

LITTERÆ CAMPIANI

AD RICHARDVM CHENÆVM EPISCOPVM GLOCESTR.

Ornatissimo viro Richardo Chenæo Edmundus Campianus S. D.

NON me nunc vt olim, iuuenilis impetus, nec styli facultatula, nec officiosa quædam scribendi sedulitas impulit. olim vis animi, maior nunc necessitas extorsit hanc epistolam. Nimium iam diu seruitum est auribus, tempori, spebus, gloriæ: tandem aliquando saluti seruiat & subministret oratio. Per ego te naturæ bonitatem tuæ, per meas lachrymas, per ipsum Christi confossum pectus, & patibulo confixi vulnera obtestor diligenter

atten-

attendito. Nullum de te nec finem, nec modum facio cogitandi; nec vnquam fere cogito, quin me vehementer pudeat, quin illud è psalmo repetam taciteque precer, Ab alienis Domine parce seruo tuo. Quid admisi? scriptum est scilicet, Videbas furem, & currebas cum eo. & alibi: Laudatur peccator in desiderijs suis, & impius benedicitur. Toties Glocestriæ tecum, toties in secreto cubiculo, tot horas in penetralibus tuis, & intima bibliotheca fui, vbi seclusis arbitris hoc negotium agere potuissem, & non feci; quodque turpius est, assentando, & conniuendo ad morbum faculas admoui. & licet fucosa dignitatis imagine, opibus, ætate, litteris anteibas, nec tibi à me curatio animæ, aut spirituale pabulum debebatur: tamen cum esses ea facilitate suauitateque morum, vt me adolescentem senex in familiare colloquium frequenter acciperes, quidvis dicenti securitatem & silentium præstares, querelas apud me tuas, certorum in te calumnias hæreticorũ deponeres; paterne demum hortarere, vt via regia planus & erectus incederem, vt Ecclesiæ, Conciliorum, Patrum vestigijs insisterem, his vt conspirantibus nulla in re falsitatis labeculam aspergi posse crederem; valde mihi succenseo qui pulcherrimam hanc ansam ex ædificandæ fidei vel nefario pudore, vel scelerata negligentia præterierim. qui paululum adhuc distantem à regno Dei non accenderim confidenter; sed aura fauoris & gloriæ tuæ potius vmbratilem existimatio-

matio-

mationem honoris mei, quam ſempiternum bonum promouerim. Ceterum quia primum quod erat ſublatum eſt, vt præſentem præſens conarer inflectere; proximum eſt ad abſentem vox mea proficiſcatur, teſtis obſeruātiæ, ſolicitudinis, anxietatis meæ, quam ille ſcit, apud quem quotidiana vota pro ſalute tua voueo. Audi obſecro, audi paucis. Annos plus minus ſexaginta natus es, incerta valetudine, debilitato corpore, hæreticorum odium, Catholicorum pudor, vulgi fabula, tuorum luctus, inimicorum ludibrium, pugnante conſcientia falſum nomen vſurpas Epiſcopi, peſtiferam ſectam quam non probas tacendo publicas. perculſus anathemate, reciſus à corpore in quod ſolum Chriſtus influit, exutus omnium piorum ſuffragiorum, ſacrificiorum, Sacramentorum beneficio. Quis videre? quid expectas? quæ tua vita eſt? ecquam in eo tibi ſpem reſtare putas quòd hęretici implacabili odio conuicijſque laceſſant? quòd ex omnibus hæreſiarchis Britāniæ tolerabilius inſanias? quòd veram Chriſti præſentiam in altari; & liberum hominis arbitrium profiteare? quòd Catholicorum neminem in tua diœceſi protriueris? quòd hoſpitijs flores tuorum ciuium, & bonorum hominum? quòd palatium, & prædia non vt ſodales tui, delumbaris? & quidem iuuabunt iſta ſi redeas ad complexum Eccleſiæ, ſi cum domeſticis fidei vel minimum quidquam patiare, vel ſalubriter meditere. Nunc autem dum foris es, dum hoſtis es, dum

nequissimus transfuga sub alieno duce militas, frustra studes integumentis virtutum innumera flagitia piare, nec aliud consequere nisi vt cruciatibus æternis paulo fortasse minus horribiliter mactere quam Iudas, aut Lutherus, aut Zuinglius, aut ille ipse Caperus, Vmphredus, Saulus, antagonistæ tui. Quid interest, alta ne rupe quispiam præcipitetur in mare, an de ripa mittatur in profluentem? ferrone quis intereat, an laqueo? tortus in equuleo, an iaculo transuerberatus? gladio dissectus, an securi? lapidibus obtusus, an fustibus? igne tostus, an aqua bulliente coctus? Quorsum attinet pro multis fidei capitibus dimicare, & in paucis perire vacillantem? cauere naufragium, & pugionibus iugulari? declinare pestem, vt inedia contabescas? vitare flammas, vt fumo suffocere? nullum fidei credit articulum, qui vnum, aut alterum recusat credere. Nam simulac pertinaciter transiliet limites Ecclesiæ, quæ est columna, & firmamentum veritatis, cui Christus IESVS *summa, prima, simplicissima veritas, fons, lux, dux, linea, norma fidelium instillat omnia; quantumcumque retinet Catholicorum dogmatum, tamen si quod vnum perniciose vellicat, cætera quæ retinet, non iam orthodoxa fide, sine qua est impossibile placere Deo, sed suo ingenio, sua persuasione retinet. Otiose Catholicorum religionem tueris, si quæ libitum est ea sola exosculere, alia quæ non videntur amputes. Vna sincera nota est*

C via,

via, non meis, tuisve cancellis, non priuato iudicio; sed humilitatis, & obsequij seueris legibus terminata, à qua cum deflexeris exorbitasti. Totus oportet sis in domo Dei, totus intra salutis parietes, tutus, ac saluus ab iniuria. Si paululum modo vagere & spatiere, si pedem, vel manicam è nauicula prominentem negligas, si vllam vel minimam in hoc nauigio pugnam dederis; exturbabere: occlusa est arca: exundat oceanus: perijsti. Qui (inquit Saluator) non colligit, spargit. Idque exponit Hieronymus, qui Christi non est, Antichristi est. Non es tam stupidus vt Sacramentariorum hæresim consecteris; non tam demens vt per omnia Lutheranæ factionis asfecla velis esse, quæ nunc Oecumenicis Concilijs (quibus tute fidendum existimas) damnantur, Constantiensi & Tridentino. & tamen hæres in luto phantasmatis tui: scilicet, vt cornicum oculos configere videreris, vt fraterculis tuis arbiter sederes honorarius. Memineris responsum quod mihimetipsi serio, sanctéque protuleris tum, cum ante triennium in ædibus clarissimi viri Thomæ Duttoni conuenissemus pransuri Ihirburnij. Incidimus in D. Cyprianum: obieci tibi, vt tua sensa melius expiscarer, Synodum illam Carthaginiensem, quæ circa baptismum hæreticorum lapsa est. dixisti id quod res erat, non vni prouinciæ, sed Ecclesiæ Spiritum sanctum adpromitti, eam vniuersam in pleno Concilio repræsentari, ostendi non posse doctrinam vllam, quæ tale Concilium se-

fefellerit. Recognosce tua tela, quibus in Eucharistiæ mysterio debellas aduersarium. Clamas orbem Christianum, cætus Episcoporum, custodes depositi, hoc est antiquæ fidei: hos vt interpretes Scripturæ commendas populo: Patrunculorum quorundam figmentum impudens iure optimo rides, & eleuas. Nunc quid dices? En tibi celeberrimos Patres, & Patriarchas, & Apostolicos viros nouissime coactos Tridenti, qui pro veterum Patrum fide communicatis operis decertarunt: Legatos, Præsules, Cardinales, Episcopos, Oratores, Doctores plurimarum gentium; ætate maturos, rara sapientia, eruditione mirabiles, dignitate Principes, vndique circumfluentes: Italos, Gallos, Hispanos, Lusitanos, Græcos, Polonos, Hungaros, Flandros, Illyricos: multos è Germania, aliquot ex Hibernia, Croatia, Morauia, ex Anglia quoque non neminem. Hi te quam diu sic viues vt nunc viuis, feriunt, explodunt, eliminant, execrantur. Quid causæ affers, præsertim cum tuis collegis bellum indixeris? cur non te totum citra exceptiones in horum Præsulum disciplinam submisse dedas? Vidistin' aliquid in cœna Domini quod isti non viderint, excusserint, dissoluerint? Audesne te ipsum vel centesima parte cum infimis huius Concilij Theologis exæquare? non diffido prudentiæ, nec modestiæ tuæ; non audes. Victus es ergo tuis iudicibus, numero, valore, pondere, grauissimo totius orbis terrarum & maximo testimonio.

Redi, redi ad cor, miserabilis senex. Restitue mihi veterem nitorem, & egregias dotes tuas adhuc sopitas, hactenus hærentes in cœno turpitudinum. Da te parenti tuæ quæ te Christo peperit, aluit, consecrauit. Agnosce parricidium. Sit erranti medicina confessio. Alterum (quod aiunt) in cymba pedem habes, fortasse statim breuissimè sine dubio, rapiendus è vita, sistendus ad tribunal, illud auditurus; Redde rationem villicationis tuæ. Quòd nisi celeriter, & accurate in gratiam cum aduersario peccati viator inieris, ad vltimum quadrantem exactus de vita infelix agitabere, cui numquam soluendo fueris. Tum illæ manus quæ spurijs Ordinibus tot misellos iuuenes initiarunt, sulfureum corpus præ dolore pungent, ac terebrabunt. Illud os impurum periurijs ac schismate delibutum, ignibus & vermibus, & spiritu procellarum opplebitur. Illa tuæ carnis ambitiosa pompa, sella pontificia, prouentus annui, spatiosa domus, honorifica salutatio, famulorum cohors, apparatus elegans, rerum affluentia, quibus te stulta plebecula beatum existimat, in horribiles fletus, in stridorem dentium, in fætorem, squallorem, fœditatem, carceres vertentur. Ibi te Caluini manes & Zuinglij, quibuscum nunc luctare, perpetuo affligent, cum Sabellio, Arrio, Nestorio, VViclefo, Luthero, denique cum diabolo; & Angelis tenebrarum supplicia dependes, blasphemias eructabis. Parce tibi, vitæ tuæ, do-

lori meo. Licet fracta naui, proiectisque mercibus, tamen accipe tabulam pœnitentiæ, adnata quantum poteris, & vel nudus ad Ecclesiæ portum applica. Christus, ne dubites, præseruabit manu, accurret, dabit osculum, vestiet stola candida, cœlites triumphabunt. De vita minima cura esto: ille curabit qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Tu si nostrum exilium degustasses, si conscientiam repurgasses, & viuidum pietatis exemplar oculis & animo lustrauisses, quod hic in Episcopis, Presbyteris, Religiosis Fratribus, Præpositis, Academicis, Proceribus regionum, laicis omnium ætatum, ordinum, sexuum resplendet; credo, reliquam temporis vsuram gemitibus, & fletibus imbuendam, sexcentis Britanniis non commutares. Sin autem quæ tuæ rationes sunt, sic impedire, vt libere quo cupis euolare non queas, animum saltem grauissimis catenis eripito. corpori quiduis impera, modo ne te sua mole premat, & infra manes mandet exilio. Vbicumque remanseris, aut quocumq; diuerteris, nouit Deus qui sunt eius, & prope est omnibus inuocantibus eum in veritate. Da veniam, senex ornatissime, iustissimis aculeis, & ardori meo; liceat odisse mortiferam plagam, liceat insignis viri, carique capitis periculum præsentissimum, quolibet vel acerbo pharmaco redimere, & propellere. Iamque futurum, si Christus annuat, si tute non refugeris, tam expecto, quam te diligo. Diligo

vt natura, litteris, vrbanitate, moribus præstantissimum, & mihi multis tuis meritis officijsque coniunctissimum. Si conualueris, beasti me; si contempseris, testor chirographum hoc. Deus iudicet inter me, & te. Sanguis tuus super temetipsum. Vale, Kalend. Nouembris.

CAPVT IX.

Romam diuino monitu venit, eoque in itinere Christianæ paupertatis exemplo hæreticum hominem iuuat.

HIs ad Chenæum scriptis litteris, leuatus ea cura erat, quæ ex alieno scelere ad eum redundare videbatur: sed proprij sceleris memoria stimulos acrius incutere salubriter anxio homini non omisit. Ita enim accidit, vt eadem epistola quæ monendi Chenæi officium expleuit; characteris bestiæ, quem ex illo susceperat, lugubrem memoriam refricaret. Inde tantus dolor, sensusque abhorrentis à flagitio animi consecutus est, vt neque noctu, neque interdiu quietis vllam capere partem posset. Vnum erat oppresso pene, laceratoque curis animo laxamentum, intenta ad Deum precatio. Perpetuas, lacrymarum plenus, dat se in preces: quarum

quarum longos post gemitus hæc summa erat, viam sibi volens bonusque Deus supplicanti aperiret, qua maxime expiari tantum ab se scelus vellet. Habere supplicem in omnia paratum: vri, secari, cruciari leue esse pro scelere: quòd si auctoritas offensi numinis accedat, fore sibi etiam voluptarium. His, alijsq; pœnitentis hominis precibus exorari clemens ille pater visus est, qui orari se ideo vult vt exoretur. Nam dum intentius, aliquando Campianus supplicat, interiorem monentis vocem liquido audit, qua Romam ire iubebatur. In ea vrbe, diuinorum scilicet oraculorum sede, diuinum responsum certius accepturum. Non fuit in capessendis iussis minus diligens, quam in flagitandis acer fuerat Campianus. Romanam statim sibi peregrinationem indicit. In qua vti pauperrimo Christo esset quam simillimus, omnia summæ paupertatis incommoda experiri statuit. Consilio amicis demonstrato, quæcumque ab illis ad solatium adeo longi itineris, vel præsidium offerebantur, fortiter reijcit. Die constituta ab eisdem hoc vno non prohibitis officio, multum viæ deductus, mutuisque lacrymis perfusus, iter nullo comite pedes ingreditur. Quid ille vel egerit toto hoc itinere, vel passus sit, ex tam longis, quæ peragrauit terrarum spatijs, ex adeo constanti paupertatis studio, ex tanta gentium etiam à Catholica religione alienarum varie-

Exploratorum ac vigilum loco Angli Reges vtramque circum regni littora in fluctibus esse iam pridem decreuere: simul aduersus hostium insidias ciuiumque fraudes auxilio futuram. Eæ vbi quam conspexere Anglico Oceano nauim, tormentorum fragore iubent vela demittere: nisi paret, vim eo denunciatam tormenti signo, hostiliter inferunt. In eam quæ submissis velis constitit, Quæsitores è regia transiliunt. Si quem iniussu publico, suspectumve alijs coniecturis hominem è regno excessisse comperiunt, proximis Angliæ Magistratibus vinctum sistunt. Ex eo nauium genere Lepus erat. Et quia neque commeatus publice impetrati testimonium habebat vllum, ipseque ob suspensa comitum de eius religione iudicia suspectus erat Edmundus: ea causa cur retraheretur, fuit. Regressi ad littus regij Campianum de more magistratui; magistratus hæretico custodi Londinum auehendum tradit. Custos piraticæ minime ignarus, quod maritimi latrones in fluctu omiserant, occupat in littore. Primum omnium captiui loculos quærit, inuentos clam exhaurit. Pecuniæ calamitate domini salus stetit. Ingens inuasit furacem lictorem timor pœnæ comperti apud Iudices furti persoluendæ cuius indicem testemque nimis certum secum ipse duceret. Ergo consilium à duobus non ignauis suasoribus cupiditate ac perfidia mutuatur. Captiuum adeo

negli-

negligenter custodire instirit; tot fugæ aditus quasi per torporem ac socordiam præbere: vt non esset difficile vincto non hebetissimo intelligere plus à custode sua vincula, quam fugam timeri. Vsus callida hominis negligentia male custoditus Campianus, eadem fuga se custodemque ingenti molestia liberauit. Ex eo tempore nihil ad Belgicum receptum impedimenti nactus; pecuniam ab amicis accipit: ex Anglia soluit: feliciqué nauigatione vsus, Deo verius fauente, quam auris, Belgium, quo intenderat, peruenit.

CAPVT VIII.

Duaci in Belgio in conuictum præstantissimorum suorum ciuium admissus litterarios honores accipit. fraternæ correctionis officium cum Cheneo per litteras absens obit.

HIc primo gratijs Numini impense actis in littore, terrestri itinere Duacum petit, vrbem eius prouinciæ insignem in primis. Ibi eos quos dicebamus viros, multosq; præterea ex ijs, qui patriam, quam religionem deserere maluerant, eodem conuictu, mutuaque non animorum minus, quam domicilij consociatione coniunctos offendit.

lis vita inter litteras, animus inter cœlites erat. Nihil cuiquam antiquius præfecti obedientia, cui voluntate magis parentium, quam iure imperij auctoritas constabat. Vna mensa, vno tecto, vna vitæ forma coaluerant. Inter se fides rara: aduersus ciues caritas profusa: in exteros modestia singularis. Eminebant Nicolaus Sanderus, Thomas Stapletonus, Gulielmus Bristous, Gulielmus Alanus virtute tunc atque eruditione solum, ingenij postmodum etiam præclaris monumentis clari omnes: at Gulielmus Alanus sacra insuper Cardinalatus purpura à Sixto Quinto Pont. maximo accepta, ad virtutis lucem honorum etiam fulgores adiecit. Hic mihi clarissimorum hominum conuentus prætereundus non fuit, propterea quod huiusmodi initijs Anglica Seminaria extitere: quibus deinde in Gallijs, Belgio, Hispania, Romæ frequentibus excitatis, noua subinde soboles aduersus impietatem patriam laborantibus sacerdotibus subsidio mittitur: Martyrumque seges lætissima inde exorta Anglicæ messis olim copiosissimæ spem constantem facit. In horum numerum non volentium modo, sed etiam sibi tantum socium gratulantium, coniectus Campianus diu latere non potuit. Addita veteri de illo famæ noua experimenta amicos perpulere, vt eum ad Baccalaureatum suscipiendum adigerent. Gessit ijs morem, vt erat facilis obsequij; Baccalaureumque se

ritu solemni renunciari passus est, magis amicis obsequendi, quam sibi satisfaciendi voluntate. Iam enim ipse ambitionis inanibus abiectis, totus in componendo animo, conscientiaq; expianda erat. Etenim dum secum ipse per otium præteritæ vitæ rationes inspicit diligentius, excitari magno cum pœnitentiæ morsu stimulum illum senserat, quo toties deploratum sceleratæ dissimulationis in religionis causa peccatum refricabatur. Angebat præter cetera religiosæ mentis virum, prætermissum aduersus Episcopum Glocestriensem, fraternæ monitionis eo tempore officium, quo agnita veritate, linguam tamen vel senis amori, vel pudori inconsulto præposteræque ambitioni turpiter addixit. Reus non modo sui, verum etiam alieni sanguinis, prodita per seruile silentium vtriusq; salute, sibi videbatur. Quamquam enim tanta ætatis honorisque dissimilitudo afferre Campiano aliquam omissi officij excusationem poterat: cum grandæui Episcopi castigandi partes iuuenem priuatum decere minime viderentur; id tamen in tanta Chenæi humanitate, infra omne vel ætatis, vel dignitatis fastigium ad intimam ipsius familiaritatem sese demittentis, leuissimum vulneratæ conscientiæ remedium existimabat. Ceterum præstare, vel sero ad officium redire, quam semper aberrare ratus; exequitur per epistolam absens, quod verbo coram neglexerat.

xerat. Dat ad illum Latine ſcriptam epiſtolam, qua hominem vltima ſenecta iuuenis ipſe adhuc ita apte pariter vehementerque calefacit, vt facile ex illa tum ingenij robur, & acrimoniam, tum pietatis ardorem æſtuantem agitatæ incendio conſcientiæ animaduertas. Eam ego epiſtolam, quia exemplum Chriſtianæ libertatis eſt, ingenij atque eloquentiæ notis omnibus illuſtre, nullo mutato verbo hic exſcribo.

LITTERÆ CAMPIANI

AD RICHARDVM CHENÆVM EPISCOPVM GLOCESTR.

Ornatiſſimo viro Richardo Chenæo Edmundus Campianus S. D.

NON me nunc vt olim, iuuenilis impetus, nec ſtyli facultatula, nec officioſa quædam ſcribendi ſedulitas impulit. olim vis animi, maior nunc neceſſitas extorſit hanc epiſtolam. Nimium iam diu ſeruitum eſt auribus, tempori, ſpebus, gloriæ: tandem aliquando ſaluti ſeruiat & ſubminiſtret oratio. Per ego te naturæ bonitatem tuæ, per meas lachrymas, per ipſum Chriſti confoſſum pectus, & patibulo confixi vulnera obteſtor diligenter atten-

attendito. Nullum de te nec finem, nec modum facio cogitandi; nec vnquam fere cogito, quin me vehementer pudeat, quin illud è psalmo repetam taciteque precer, Ab alienis Domine parce seruo tuo. Quid admisi? scriptum est scilicet, Videbas furem, & currebas cum eo. & alibi: Laudatur peccator in desiderijs suis, & impius benedicitur. Toties Glocestriæ tecum, toties in secreto cubiculo, tot horas in penetralibus tuis, & intima bibliotheca fui, vbi seclusis arbitris hoc negotium agere potuissem, & non feci; quodque turpius est, assentando, & conniuendo ad morbum faculas admoui. & licet fucosa dignitatis imagine, opibus, ætate, litteris anteibas, nec tibi à me curatio animæ, aut spirituale pabulum debebatur: tamen cum esses ea facilitate suauitateque morum, vt me adolescentem senex in familiare colloquium frequenter acciperes, quidvis dicenti securitatem & silentium præstares, querelas apud me tuas, certorum in te calumnias hæreticorũ deponeres; paterne demum hortarere, vt via regia planus & erectus incederem, vt Ecclesiæ, Conciliorum, Patrum vestigijs insisterem, his vt conspirantibus nulla in re falsitatis labeculam aspergi posse crederem; valde mihi succenseo qui pulcherrimam hanc ansam ex ædificandæ fidei vel nefario pudore, vel scelerata negligentia præterierim. qui paululum adhuc distantem à regno Dei non accenderim confidenter; sed aura fauoris & gloriæ tuæ potius vmbratilem existi-

matio-

mationem honoris mei, quam sempiternum bonum promouerim. Ceterum quia primum quod erat sublatum est, vt præsentem præsens conarer inflectere; proximum est ad absentem vox mea proficiscatur, testis obseruãtiæ, solicitudinis, anxietatis meæ, quam ille scit, apud quem quotidiana vota pro salute tua voueo. Audi obsecro, audi paucis. Annos plus minus sexaginta natus es, incerta valetudine, debilitato corpore, hæreticorum odium, Catholicorum pudor, vulgi fabula, tuorum luctus, inimicorum ludibrium, pugnante conscientia falsum nomen vsurpas Episcopi, pestiferam sectam quam non probas tacendo publicas. perculsus anathemate, recisus à corpore in quod solum Christus influit, exutus omnium piorum suffragiorum, sacrificiorum, Sacramentorum beneficio. Quis videre? quid expectas? quæ tua vita est? ecquam in eo tibi spem restare putas quòd hęretici implacabili odio conuiciisque lacessant? quòd ex omnibus hæresiarchis Britãniæ tolerabilius insanias? quòd veram Christi præsentiam in altari; & liberum hominis arbitrium profiteare? quòd Catholicorum neminem in tua diœcesi protriueris? quòd hospitiis flores tuorum ciuium, & bonorum hominum? quòd palatium, & prædia non vt sodales tui, delumbaris? & quidem iuuabunt ista si redeas ad complexum Ecclesiæ, si cum domesticis fidei vel minimum quidquam patiare, vel salubriter meditere. Nunc autem dum foris es, dum hostis es, dum

nequissimus transfuga sub alieno duce militas, frustra studes integumentis virtutum innumera flagitia piare, nec aliud consequere nisi vt cruciatibus æternis paulo fortasse minus horribiliter mactere quam Iudas, aut Lutherus, aut Zuinglius, aut ille ipse Caperus, Vmphredus, Saulus, antagonistæ tui. Quid interest, alta ne rupe quispiam præcipitetur in mare; an de ripa mittatur in profluentem? ferrone quis intereat; an laqueo? tortus in equuleo, an iaculo transuerberatus? gladio dissectus, an securi? lapidibus obtusus, an fustibus? igne tostus, an aqua bulliente coctus? Quorsum attinet pro multis fidei capitibus dimicare, & in paucis perire vacillantem? cauere naufragium, & pugionibus iugulari? declinare pestem, vt inedia contabescas? vitare flammas, vt fumo suffocere? nullum fidei credit articulum, qui vnum, aut alterum recusat credere. Nam simulac pertinaciter transiliet limites Ecclesiæ, quæ est columna, & firmamentum veritatis, cui Christus IESVS summa, prima, simplicissima veritas, fons, lux, dux, linea, norma fidelium instillat omnia; quantumcumque retinet Catholicorum dogmatum, tamen si quod vnum perniciose vellicat, cætera quæ retinet, non iam orthodoxa fide, sine qua est impossibile placere Deo, sed suo ingenio, sua persuasione retinet. Otiose Catholicorum religionem tueris, si quæ libitum est ea sola exosculere, alia quæ non videntur amputes. Vna sincera nota est

via, non meis, tuisve cancellis, non priuato iudicio; sed humilitatis, & obsequij seueris legibus terminata, à qua cum deflexeris exorbitasti. Totus oportet sis in domo Dei, totus intra salutis parietes, tutus, ac saluus ab iniuria. Si paululum modo vagere & spatiere, si pedem, vel manicam è nauicula prominentem negligas, si vllam vel minimam in hoc nauigio pugnam dederis; exturbabere: occlusa est arca: exundat oceanus: perijsti. Qui (inquit Saluator) non colligit, spargit. Idque exponit Hieronymus, qui Christi non est, Antichristi est. Non es tam stupidus vt Sacramentariorum hæresim consecteris; non tam demens vt per omnia Lutheranæ factionis assecla velis esse, quæ nunc Oecumenicis Concilijs (quibus tute fidendum existimas) damnantur, Constantiensi & Tridentino. & tamen hæres in luto phantasmatis tui: scilicet, vt cornicum oculos configere videreris, vt fraterculis tuis arbiter sederes honorarius. Memineris responsum quod mihimetipsi serio, sancteque protuleris tum; cum ante triennium in ædibus clarissimi viri Thomæ Duttoni conuenissemus pransuri Ihirburnij. Incidimus in D. Cyprianum: obieci tibi, vt tua sensa melius expiscarer, Synodum illam Carthaginiensem, quæ circa baptismum hæreticorum lapsa est. dixisti id quod res erat, non vni prouinciæ, sed Ecclesiæ Spiritum sanctum adpromitti, eam vniuersam in pleno Concilio repræsentari, ostendi non posse doctrinam vllam, quæ tale Concilium

fefellerit. Recognosce tua tela, quibus in Eucharistiæ mysterio debellas aduersarium. Clamas orbem Christianum, cœtus Episcoporum, custodes depositi, hoc est antiquæ fidei: hos vt interpretes Scripturæ commendas populo. Patrunculorum quorundam figmentum impudens iure optimo rides, & eleuas. Nunc quid dices? En tibi celeberrimos Patres, & Patriarchas, & Apostolicos viros nouissime coactos Tridenti; qui pro veterum Patrum fide communicatis operis decertarunt: Legatos, Præsules, Cardinales, Episcopos, Oratores, Doctores plurimarum gentium; ætate maturos, rara sapientia, eruditione mirabiles, dignitate Principes, vndique circumfluentes: Italos, Gallos, Hispanos, Lusitanos, Græcos, Polonos, Hungaros, Flandros, Illyricos: multos è Germania, aliquot ex Hibernia, Croatia, Morauia, ex Anglia quoque non neminem. Hi te quam diu sic viues vt nunc viuis, feriunt, explodunt, eliminant, execrantur. Quid causæ affers, præsertim cum tuis collegis bellum indixeris? cur non te totum citra exceptiones in horum Præsulum disciplinam submisse dedas? Vidistin' aliquid in cœna Domini quod isti non viderint, excusserint, dissoluerint? Audes ne te ipsum vel centesima parte cum infimis huius Concilij Theologis exæquare? non diffido prudentiæ, nec modestiæ tuæ; non audes. Victus es ergo tuis indicibus, numero, valore, pondere, grauissimo totius orbis terrarum & maximo testimonio.

Redi, redi ad cor, miserabilis senex. Restitue mihi veterem nitorem, & egregias dotes tuas adhuc sopitas, hactenus hærentes in cœno turpitudinum. Da te parenti tuæ quæ te Christo peperit, aluit, consecrauit. Agnosce parricidium. Sit erranti medicina confessio. Alterum (quod aiunt) in cymba pedem habes, fortaſse statim breuissimè sine dubio, rapiendus è vita, sistendus ad tribunal, illud auditurus, Redde rationem villicationis tuæ. Quòd nisi celeriter, & accurate in gratiam cum aduersario peccati viator inieris, ad vltimum quadrantem exactus de vita infelix agitabere, cui numquam soluendo fueris. Tum illæ manus quæ spurijs Ordinibus tot misellos iuuenes initiarunt, sulfureum corpus præ dolore pungent, ac terebrabunt. Illud os impurum periurijs ac schismate delibutum, ignibus & vermibus, & spiritu procellarum opplebitur. Illa tuæ carnis ambitiosa pompa, sella pontificia, prouentus annui, spatiosa domus, honorifica salutatio, famulorum cohors, apparatus elegans, rerum affluentia, quibus te stulta plebecula beatum existimat, in horribiles fletus, in stridorem dentium, in fœtorem, squallorem, fœditatem, carceres vertentur. Ibi te Caluini manes & Zuinglij, quibuscum nunc luctare, perpetuo affligent, cum Sabellio, Arrio, Nestorio, VViclefo, Luthero, denique cum diabolo, & Angelis tenebrarum supplicia dependes, blasphemias eructabis. Parce tibi, vitæ tuæ, dolori

lori meo. Licet fracta naui, proiectisque mercibus, tamen accipe tabulam pœnitentiæ, adnata quantum poteris, & vel nudus ad Ecclesiæ portum applica. Christus, ne dubites, præseruabit manu, accurret, dabit osculum, vestiet stola candida, cœlites triumphabunt. De vita minima cura esto: ille curabit qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Tu si nostrum exilium degustasses, si conscientiam repurgasses, & viuidum pietatis exemplar oculis & animo lustrauisses, quod hic in Episcopis, Presbyteris, Religiosis Fratribus, Præpositis, Academicis, Proceribus regionum, laicis omnium ætatum, ordinum, sexuum resplendet; credo, reliquam temporis vsuram gemitibus, & fletibus imbuendam, sexcentis Britanniis non commutares. Sin autem quæ tuæ rationes sunt, sic impedire, vt libere quo cupis euolare non queas, animum saltem grauissimis catenis eripito. corpori quiduis impera, modo ne te sua mole premat, & infra manes mandet exilio. Vbicumque remanseris, aut quocumq; diuerteris, nouit Deus qui sunt eius, & prope est omnibus inuocantibus eum in veritate. Da veniam, senex ornatissime, iustissimis aculeis, & ardori meo; liceat odisse mortiferam plagam, liceat insignis viri, carique capitis periculum præsentissimum, quolibet vel acerbo pharmaco redimere, & propellere. Iamque futurum, si Christus annuat, si tute non refugeris, tam expecto, quam te diligo. Diligo

vt natura, litteris, vrbanitate, moribus præstantissimum, & mihi multis tuis meritis officijsque coniunctissimum. Si conualueris, beasti me; si contempseris, testor chirographum hoc. Deus iudicet inter me, & te. Sanguis tuus super temetipsum. Vale, Kalend. Nouembris.

CAPVT IX.

Romam diuino monitu venit, eoque in itinere Christianæ paupertatis exemplo hæreticum hominem iuuat.

HIs ad Chenæum scriptis litteris, leuatus ea cura erat, quæ ex alieno scelere ad eum redundare videbatur: sed proprij sceleris memoria stimulos acrius incutere salubriter anxio homini non omisit. Ita enim accidit, vt eadem epistola quæ monendi Chenæi officium expleuit; characteris bestiæ, quem ex illo susceperat, lugubrem memoriam refricaret. Inde tantus dolor, sensusque abhorrentis à flagitio animi consecutus est, vt neque noctu, neque interdiu quietis vllam capere partem posset. Vnum erat oppresso pene, laceratoque curis animo laxamentum, intenta ad Deum precatio. Perpetuas, lacrymarum plenus, dat se in preces: quarum

quarum longos post gemitus hæc summa erat, viam sibi volens bonusque Deus supplicanti aperiret, qua maxime expiari tantum ab se scelus vellet. Habere supplicem in omnia paratum: vri, secari, cruciari leue esse pro scelere: quòd si auctoritas offensi numinis accedat, fore sibi etiam voluptarium. His,alijsq; pœnitentis hominis precibus exorari clemens ille pater visus est, qui orari se ideo vult vt exoretur. Nam dum intentius, aliquando Campianus supplicat, interiorem monentis vocem liquido audit, qua Romam ire iubebatur. In ea vrbe, diuinorum scilicet oraculorum sede, diuinum responsum certius accepturum. Non fuit in capessendis iussis minus diligens, quam in flagitandis acer fuerat Campianus. Romanam statim sibi peregrinationem indicit. In qua vti pauperrimo Christo esset quam simillimus, omnia summæ paupertatis incommoda experiri statuit. Consilio amicis demonstrato, quæcumque ab illis ad solatium adeo longi itineris, vel præsidium offerebantur, fortiter reijcit. Die constituta ab eisdem hoc vno non prohibitis officio, multum viæ deductus, mutuisque lacrymis perfusus, iter nullo comite pedes ingreditur. Quid ille vel egerit toto hoc itinere, vel passus sit, ex tam longis, quæ peragrauit terrarum spatijs, ex adeo constanti paupertatis studio, ex tanta gentium etiam à Catholica religione alienarum varie-

tate, conijci facile poteſt. Ipſe, vt ſemper res à ſe vel præclare geſtas, vel ex diuina largitate acceptas, in arcanis habuit, nihil vnquam de toto hoc itinere cuiquam prodidit. Nam quod de vetere amico, inter eundum, ad omnem Chriſtianæ laudem virtutis, exemplo verbiſque Campiani accenſo memorabo; ex ipſo qui percepit, non ex Campiano, qui contulit beneficium, cognitum ferunt. Romam eo tempore vetus Campiani ex hæreticorum natione amicus, & Oxonienſi contubernio familiaris, gratia curioſitatis, inuiſerat. Dum in patriam redit, mendici peregrinatoris habitu obuium habet Campianum. Nota ſpecies in tam ignoto veſtitu dubitationem primo attulit tunc maxime properanti. Ergo curſum inhibet, reuocatiſque mox furtim, poſt paulo liberius coniectis in peregrinum oculis, ſimul & agnouit plane, & equo deſiliens amiciſſime amplexus amicum eſt. Poſt ſolemnia primi congreſſus officia, primum omnium ſtuporem animi incredibilem vultu ac fronte præſeferens, quærit à Campiano tam inſolitæ egeſtatis cauſam. Crediderat fortaſſe latronum iniuriam, quod pietatis conſilium erat. Vbi ex ipſo audiuit, ſponte tantam viæ, vitæque ſuſceptam aſperitatem; nimirum indignum videri, ac pene inſanum homini ſecundum carnem ſapienti; Edmundum domi ſuæ honeſta fortuna vſum, conſtitutione corporis non

robu-

robuſtiſſimum, eo ſeſe calamitatis ſponte abieciſſe: ſimulque loculis arreptis ſubleuaturus egentem pecunia videbatur. Tum vero iniecta in eum manu, Nihil hoc opus eſt, inquit Campianus: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Nec pudebit me peditem, egenumque illius ducis, ac Domini premere veſtigia, qui cum diues eſſet, propter nos egenus adeo factus eſt, vt naſcenti ſtabulum, morienti crux, mortuo ſepulchrum ex alieno obtigerint. Hinc Chriſtianæ paupertatis laudes, voluntariæque egeſtatis exorſus, adeo ardenter perorauit; vt admiratione defixum, lacrymisque large perfuſum hominem dimiſerit. Ceterum breuis colloquij longa apud amicum memoria reſedit. In eius pectus adeo alte Campiani cum facto verba deſcendere: vt Oxonium reuerſus, nullum ea narrandi, prædicandique finem fecerit. neque alia magis cauſa Perſonio, Campianoque in Oxonienſium animos, cum deinde in Angliam redierunt, viam aperuit. tantum habet exemplo iuncta oratio momentum.



CA-

CAPVT X.

In Societatem IESV *diuino instinctu actus admittitur.*

HOc itinere Romam aliquando iam tum voluntarius peruenit Christi mendicus, anno superioris seculi secundo supra septuagesimum. Hic verò nihil interualli fecit ad diuinum de se, vti iam sibi promissum meminerat, responsum per omnia piorum operum genera petendum: Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis, assidua prece, sanctissimorum salutatione templorum, præcipuè nitebatur. nec frustra. breui interiorem audire sibi non semel visus suasorem, qui ad Societatem IESV ineundam restitantem tantisper impelleret, dum moniti siue auctorem, siue constantiam exploraret. Diu re numini commendata; clariores diuinæ lucis radios, caloremque vehementiorem expertus; hanc illam, scilicet, esse promissam sibi Duaci vocem intellexit. Qua in re fucum non factum homini prudentissimo, & illi tunc lux singularis immissa, & nunc nobis consequentis eius vitæ, tum ratio, tum exitus certissime persuasere. Conuenerant eo tempore in Vrbem, ad Generalem Societatis IESV Præpositum in demortui Francisci Borgiæ locum subrogandum, ex omnibus Europę prouincijs eius Ordinis primarij Patres, quibus in

eam rem suffragij ius est. Solemni more comitijs peractis, Euerardum Mercurianum Præpositum renunciarant, hominem Belgam, siue ætatis, siue religiosæ professionis annis grauem. Ad hunc accedens Campianus, consilium suum, consilijque rationem aperit. Facile fuit ab homine rerum cælestium non imperito, cælesti illa vocatione exposita, aditum ad Societatem impetrare. Vbi in eam admissus est, à plurimis prouinciarum Præfectis, quamquam vndecumque, præterquam ex indole modestiæ, ignotus, expetitur. Et frustra nitentibus ceteris, Austriç prouinciæ diuina destinatione adscriptus est. Lætus ea re maxime, vt videretur iam tum magnum aliquid occultis illis gaudijs ex eo tirone præsagire, Austriæ Præpositus, dat se cum illo, alijsque comitibus in viam. Pragam vrbem sede Cæsarum inclytam, reuectus; Brunam, quo in opido tironum domicilium Societati est, transmittit Edmundum. Interim perspectam toto itinere singularis virtutis in eo illustrem faciem, ita alte animo vniuersi viæ comites condidere, vt nulla vnquam temporum longinquitas, nulla soli terrarumque diuersitas, ab eius commemoratione illorum aliquem reuocarit. Franciscus certe Auillianedo, è Societate sacerdos, qui Mariæ Augustæ designatus Confessarius vna cum eis iter fecerat, palam predicare nunquam destitit, nihil vnquam se in tirone illo,

nisi

nisi vnde ad virtutem omni ex parte proficeret, conspexisse.

CAPVT XI.

In Germania ingenij multa, plura sanctitatis signa prodit.

EDmundi virtutem inter abiectissima ministeria, quibus tironum Societatis IESV animi ad crucis ignominiam parantur, emicuisse, non sane mirer. illud admiratione non caret, ingenij vim, litterarumque scientiam in illis sordibus latere nequiuisse. Satis constat ab ipsis, vt ita dicam, religiosæ vitæ incunabulis, Campianum maximis omnibus, siue quæ ad litteras, siue quæ ad salutem animorum spectant, negotijs moderatorum suorum auctoritate præfuisse. Illi necdum religiosis votis obstricto, Rhetoricæ docendæ, illi Latinæ ad populum concionis munus impositum; cum interea matutinus idem esset domesticorum excitator. ex quo fiebat, vt ne cuiquam deesset muneri; somni tempora præter morem modumque corriperet. His adde, quæ in tractanda animorum salute, vel maiorum imperium, vel sua de omnibus benemerendi voluntas, vel, vt in eiusmodi agendis rebus vsu venit, necessitas quotidie extra numerum, atque ordinem ingerebant.

Accidit

Accidit interdum, vt hominis ad omnia aptissimi solertia, cum obsequentissima voluntate coniuncta, tot simul, neque ea leuissima suorum imperia moderatorum prouocarit, vt ijs exequendis vnum hominem parem fuisse proximum miraculo sit. Illi familiaris vox ad vitæ rectores suæ non alia fuisse fertur, vbi aliquo onere iam prægrauatum, alijs, atque alijs simul cumulatis pene obruerent: Ex tui animi sententia reris ne Pater ad hæc me omnia facultatis, ac virium satis allaturum? Qui si annuissent, nullam amplius consultationem admittebat. Vir planè Societate dignissimus; qui & rectori suo de se plus credere, quam sibi; & ex illo omnia, ex se nihil velle didicerat. Neque cum tirocinio depositus obedientiæ laborumque cursus. Quin potius, vbi fidem suam Deo ac Societati votis nuncupatis obstrinxit; cum insolito animi ardore & veteres labores vehementer auxit; & addidit recentes. scilicet non pignus magis, quam stimulum perfectæ vitæ, quæ conceperat vota existimabat. In nobilium subinde adolescentium, qui nostris præceptis, atque institutione Pragæ viuunt, Collegium translatus, supra plerasque veteres curas, Dialecticen primo anno, mox Physicas disciplinas publice docuit: cum Præfectus morum interim, ac Sodalitij, quod sub tutela Salutatæ Virginis est, Præses foret. Neque rerum multitudinem agendarũ complexus, laudem,

vti plerumque fit, bene agendi amisit. Eum, & concionantem præter ceteros Pontificius Nuncius, Catholicique Regis Orator, & docentem auditores ad vnum omnes, & domesticis muneribus intentissimum, vigilantes domi Præpositi mirabantur. Denique sexennium totum (hoc enim illi Pragensis commorationis tempus fuit) incitato semper ad absolutæ sanctitatis metam contendit cursu: nihil interim de litterarijs muneribus remittens. Et in his quidem fecundissimo semper theatro vsus est, siue solutam, siue adstrictam metro orationem sequeretur. Duo tamen supra cetera plausum ingentem tulere illius ingenij monumenta. Alterum tragœdia fuit quam Ambrosianam inscripsit: alterum funebris oratio, quâ in nobilissima corona Mariam Requesenam fœminam primariam Mariæ Augustæ cubiculo præfectam Latine laudauit. Illa plane cum plausu theatrali spectata: hæc tanta cum approbatione audita, vt omnibus hominum ordinibus eam enixè flagitantibus, deberi diutius non potuerit. Typis excusa non minus lectitantium oculis (quod rarum est) placuit, quam audientium auribus placuerat. Inter hæc incredibilem cepit Anno CIↃ. IↃ. LXXVI. ex Romanis nuncijs, qui frequentes, anno scilicet piaculari, commeabant, voluptatem. Afferebant, Anglos amicos non paucos idem secutos esse religiosum Societatis IESV vitæ in-

institutum. Illorum præcipue bonam gratulabatur mentem, quibuscum Oxonij inter litteras iucunde vixerat. In his esse Robertum Personium inaudierat, Guilielmum VVestonum, Henricum Garnettum, Ægidium Gallopum, Thomam Stephensonum. His quin per litteras, alioqui parcissimus epistolarum, tantum gratularetur bonum, continere se non potuit. Perseuerauitque in mutuo commercio litterarum, magno siue fructu amicitiæ, siue incitamento sanctitatis. Vix enim dictu credibile est, quam pias, quam diuino igne succensas epistolas daret ipse, & exigeret; adeo vt ne vnam quidem litteram otiosam vtrimque esse pateretur: perditum ratus quicquid verborum pietati non seruiret. Ceterum quam felix, aut in eligendis, aut in colendis amicis incitandisque fuerit, eorum quos memorauimus exitus declarant. Omnes vel obito pro religione martyrio, vel carcerum squallore, vel immensis laboribus in Dei gratiam superatis, procedente dein tempore inclaruere. Hoc rerum cursu euntem non minor aliunde gaudij materies incessit. Tanta eius virtus, matura iamdiu sacerdotio, ætatis in Societate transactæ tempestiuitatem expectarat. Ea vbi satis processisse visa; parari sacerdotio iubetur. Et quamquam vnus ipse indignum se tanto munere prædicaret: plus tamen dignitatem viuendo, quam excusationem modeste lo-

quendo Patribus probauit. Itaque à Pragensi Archiepiscopo rite sacerdos creatur, non maiore Archiepiscopi, cui carissimus erat, quam Patrum voluptate. Nouus hic accessit ad veterem Campiani cursum stimulus. cum enim nullam satis esse innocentiam, ad tantum rite munus obeundum persuasisset sibi: quamuis plus etiam interdum, quam pene posset, efficeret; minus tamen, quam deberet, efficere se credebat. Creberrime conscientiam explorare, aperire identidem moderatoribus, sacris confessionibus eluere: adeo nulla sæpe macula, vt ab Antonio Francisco, qui eius confessiones audire consuerarat, quia nihil erat quod solui posset, sine solemni absolutione ad sacrum ire perpetrandum iuberetur. Quamquam id quoque antequam sacris initiaretur, vsu venisse confitenti Campiano, vti sine sacra absolutione eandem ob causam dimitteretur, idem Antonius Franciscus testatus non semel est.

CAPVT XII.

Romam accitur transmissurus in Angliam.

HIs, alijsque huiusmodi intentus erat curis Campianus, cum litteras ab Gulielmo Alano Roma accipit, quibus post lon-

longam euerſæ communis patriæ querelam, eius ſubleuandæ ratio proponebatur illa: ſi ipſe eam adire, præſens verbo, exemplis omnique ope veterem religionem pro virili promoturus, cum ſocijs aliquot in animum induceret. Æquum eſſe, vt illi manus ſupplices tendenti ciues ſui ſuccurrant, quibus ipſa gremium naſcentibus ſubſtrauiſſet. Harum ego litterarum caput hic inſerere operæ pretium arbitror, vt eorum præcipue mendacio occurram hæreticorum, qui Campianum noſtrum à nullo Anglorum accitum, ac neque expetitum, ſed ſola res miſcendi, agendique libidine in alienam meſſem irruiſſe calumniantur. *Mi Pater, frater, fili Edmunde Campiane (mutui enim, ac ſummi amoris appellationes omnes, erga te libenter vſurpo) Cum te Ordinis veſtri ſupremus Pater ac præfectus, id eſt, vt ego accipio,* IESVS *Praga Romam, ac porro in Angliam noſtram vocet; compellent quoque ſecundum carnem fratres tui: quorum voces licet tu non audias, Deus tamen vota exaudiuit; ego, ipſis, tibi, ac communi patriæ, & ſecundum ſeculum, & ſecundum Dominum coniunctiſſimus, ſolus tacere apud tuam caritatem non debui, vel potius in primis deſiderare, vocare, clamare debui. Expedi ergo te cariſſime Campiane quam potes citiſſime. Damnum à noſtris hominibus Bohemis olim infæliciter illatum vtcumque reſarſiſti apud Pragenſes, reliquam ætatem, par-*

temque nonnullam maximarum gratiarum tuarum si adamatæ patriæ, quæ officia tua in Christo summopere requirit concesseris; pie, Christiane, religiose feceris. De animo, & voluntate tua in hoc genere non dubito, cum non proprio, sed alieno arbitrio felicissime viuas, nec extremos Indos, summaue pericula tuorum iussu horreres. Magna iam est in Anglia nostra messis, & vulgaribus operarijs non contenta, expeditiores homines requirit. sed te in primis ipsum cum alijs vestri Ordinis selectis viris postulat; ac annuit multorum precibus R. P. Generalis: probauit Pontifex patriæ nostræ verus parens. & Deus sane ipse in cuius manibus sunt sortes tuæ tandem concessit, vt reddatur nobis noster Campianus omnibus doctrinæ, & gratiæ suæ donis longe locupletissimus. Para ergo te ad iter, ad opus, ad tentationem. Sic ille. Non ignorabat Campianus ad necem se per extrema cruciatuum omnium his litteris inuitari. Rabiem hæreticorum norat: cruenta aduersus sacerdotes edicta, legesque non ignorabat: dura denique prorsus atque horribilis totius expeditionis facies, animo legentis obijciebatur. Sed quæ terrori fuissent alijs, ingenti illi pectori fuere incitamento. Prorsus veluti classicum militari animo insonuisset, alacritatem voluptate mixtam attulit. Alano per litteras confestim respondet, ex alieno nutu aptum esse se honestissimæ causæ legitimum imperium si

acce-

accedat, non modo libenter, ſed auide etiam procurſurum: denique pro patria ad vltimũ vſque ſpiritum, ſi duces iubeant, pugnaturum. Amicorum litteras (nam & alij eodem argumento ad eum ſcripſerant) quaſi ex condicto Generalis Præpoſiti Euerardi epiſtolæ ſubſecutæ duæ menſe Martio. alteræ ad Ioannem Paulum Campanum Pragenſis Collegij Rectorem, ad ipſum Campianum datæ alteræ: quibus Romam feſtinare primo quoque tempore Campianus iubebatur. Neque diſtulit Generalis iuſſa nunciare Cãpiano Paulus. Quibus acceptis, cogitabundus hæſiſſe aliquantiſper, mox verecundantis ſpecie pauca hæc reſpondiſſe ille fertur: Enimuero ſuſpicari de me neſcio quid Patres videtur; quod vtinam ſuſpicentur vere. Domini tamen voluntas, non mea fiat. Nullum præterea factum, dictumue, quin ad iter ſe quam primum expediret, adiecit. Adeoque, dum ſe tantam ad expeditionem parat, modeſtiam cum alacritate coniunxit; vt intelligerent, palamque prædicarent Patres, non minus in eam rem facultatis à Campiano afferri, quam voluntatis. Sed antequam iter Campiani aggredior, operæ pretium eſt totius Anglicæ expeditionis aduerſus hereſes, ac peccata à Societate ſuſceptæ cauſas, auctores, rationem ipſam vniuerſam, maiore cura, fide vero inuiolata euoluere. Et maxime huius loci propria res eſt: & pugnarum fortiter à noſtris

toties pugnatarum origo : & hostium calumniæ in primis opportuna; frementibus subinde, cum Societatis nostræ homines ducuntur, aduersarijs, iure ad necem trahi proditores patriæ, hostes publicos, ad cædes regias, ad popularem seditionem ciendam missos à suis ducibus scelerum magistris. Quæ veritatis calumnia tametsi regium Senatum, ipsosque mendacij architectos nihil fallit : plebis tamen animos peruasit opinione corrigenda. Eius ergo rei initium hoc fuit.

CAPVT XIII.

Anglicæ à Societate suscipiendæ expeditionis causæ, auctores, ratio.

ANglicum quod Romæ extabat xenodochium anno superioris seculi octauo & septuagesimo, iam pene ad solitudinem redactum, qui tertiusdecimus numeratus est inter Gregorios, æterni nominis Pontifex, inaudierat. Impietas patria pijs olim hominibus vrbanam peregrinationem prohibebat. Subijt Pontificem Collegij ijsdem ædibus instituendi salutaris cogitatio : quo Collegio Angli aliquot adolescentes idoneis artibus ad omnem integritatem informati ægræ patriæ medicinam aliquando facerent. Capti consilij ministros Societatis IESV Patres adhibet.

hibet. Iis conuocandi adoleſcentes, ſcribendi conuocatis leges, Collegij moderandi cura imponitur. Rem Patres, vti iuſſi ſunt, diligenter promouent. Lectis iuuenibus, legibus, Pontifice probante, conſcriptis, iuſta Collegij apparebat ſpecies. Rei nuncio Catholici ex ea gente gauiſi omnes: Gulielmus Alanus præcipue, Anglici ea tempeſtate Collegij eius Rector, quod Duaco, iniuria bellici tumultus, Rhemos in Gallias demigrarat. Hic magnum animo proſpiciens patriæ commodum, ſi binis his Collegijs conueniret; Romam magnis itineribus proficiſcitur. Profectionis cauſam Pontifice coram, primoribusque Patrum exponit: probatur: conuenit. Duorum Collegiorum coniunctione è ſententia ſtabilita, Pontificem omnium Anglorum, qui in fide manſerant, nomine, enixe orat, Patres ex Societate IESV Angliæ laboranti ſubſidio tranſmittat. Optatum id ſibi dudum priuata cauſa. Nam Duacenſes alumnos, quibus ipſe præfuerat, Patres ijdem bonis artibus Duaci inſtituerant, tanta ſiue morum, ſeu doctrinæ approbatione, vt eorum ſibi animos obſtringerent. Et alumnos quidem in patriam iam reuerſos ferre fortiter pondus diei, & æſtus: dubitandum tamen non eſſe, quin illis confirmatio virium, redintegratioque animorum incredibilis acceſſura eſſet, ſi aduentare ſibi ſubſidio eos animaduerterent, à quibus ſuffecta ſibi arma meminiſ-

 ſent.

sent. Sed nunc ad sua priuatim vota, omnium publice Anglorum, qui Christi signa non deseruerint, adiungi preces. æquum esse tot millium supplices voces id à Pontifice impetrare, quod aliæ nationes nec opinantes accepissent. Quot enim profundæ barbariæ nationes Societatis IESV Patribus excolendæ commissæ sint, tunc cum maxime alia omnia cogitarent?

„ Neque vero sum nescius, Beatiss. Pater, periculorum plenam expeditionem hanc esse ad quam vocantur. Sed pericula illis alibi etiam vltro expetuntur: quod ni faciunt, nomen quod sustinent, indignius profecto retinent, quam deponunt. Scienti loquor. Hoc primum est instituti, quod sequuntur caput: animorum salutem quibusuis terris, quocumq; periculo mercari; neque inaccessas existimare plagas, quas opis indigæ gentes incolant. Hæc à maioribus lege sancita posteri tuentur. Iam Indias, siue quæ ad Orientem Lusitanis, siue quæ ad Occidentem Hispanis parent, quotannis adeunt, grandi mercede sementem Euangelij facturi. etiam nostros Anglos barbaro illi solo excolendo missos audio neglecta patria. Non reprehendo factum: Christi operæ sunt: quicquid terrarum patet, Christi ager est. Hoc aio: Angliam prætereiri non oportuisse. Ipsa quoque angulus ingentis fundi est. in fœcundiorē Indicis noualibus non reor. experiantur modo. Nam præiudicio rem metiri æquum non existimo. Denique, si hoc etiam spectatur, non

minori

minori decori est religionē lapsam restituere, „
quam recens condere. Hæc, aliaque pio Pon- „
tifici nō absurda visa. diem tantum ad delibe-
randum poscit: deliberationē Euerardo Præ-
posito integram permittit. illum quasi in re
præsenti consiliū expedire certius posse. Eue-
rardus Pontificis nomine ad Patres, qui illi ex
nostrę familię instituto ad deliberationes prę-
sto erant, de re tota refert. Dicūtur in vtram-
que partem sententiæ acres. Dissuasores non
capitis pericula, aut ærumnarū metum obij-
ciebant, res pro religione etiam optandas,
sed salutis propriæ periculum. Cui enim du-
bium esse, quin in tanta legum impiarum
seueritate, alieno habitu, cultuque corporis
omnino militari, dissimulāda esset sacerdotij,
religionisque professio? Exin diuersos abi-
turos. Vsuros perpetuo hominum, vt leuissi-
me dicatur, non religiosissimorum conuictu.
Redituros ergo nostros ad sæculi pene illece-
bras, laqueosque. Inter hæc prægrauante in-
gentium negotiorum mole, calorem illum
pij spiritus non posse non refrigescere, nisi
collectis identidem per sacrarum rerum me-
ditationes viribus integretur. Et hoc qui-
dem sacri receptus remedium in vasto In-
diæ tractu promptum esse, parato in pro-
xima Societatis domicilia perfugio. ibi om-
ni aliorum cura deposita, intentiore studio
sui ipsius inspectionem à nostris homini-
bus ex interuallo repeti consuesse: si quid la-

" befactum, si quid debilitatum refici, & quasi
" absterfa spiritalium armorum rubigine, curatisque per cœlestes cibos, sacramque quietem animis, ab instructioribus ad solem, ac puluerem rediri. In Anglia nullum receptui locum, nullum quieti, ac silentio: omnia turbulenta. Quæ semel suscepta essent arma, nunquam intermissa contentione retinenda. Ad hęc si quid rerum nouarum à quopiam Catholicorum (quod in tanta afflictæ religionis calamitate difficile non esset) aliquando tentetur: cui ex regijs senatoribus persuaderi posse nos à conspiratione procul animos, & consilia habuisse? Quæ si opinio semel ab illis ad Reges alios, dynastasque dimanet, quonam pacto tantam inuidiæ flammam restincturos? Contra alij differebant. Et decorū Societati esse nullam partem Christiani orbis laborantem deserere, & maxime gloriosum, si iuuentur illæ, quibus non nisi per inusitata discrimina subueniri possit. Respicienda esse tot animorum millia, quæ pretioso Domini sanguine coëmpta, supplices Societati manus tendant. Et quidem spiritali nostrorum hominum saluti timendū non esse. Deo illos duce militaturos, qui commeatum pro re liberaliter suppeditet. In India vires in Collegijs prudenter refici: quia si parato præsidio non vtare, Deum tentes. At in Anglia, quia nulla sunt Collegia, Deum ipsum perfugio futurum: qui liberaliter se

illi

illi in diuina causa permittentibus, pene prodige munificus est. Pietatis hunc teporem, & collabentis spiritus ruinam illis timendam, qui sponte, nullis legitimis imperijs, pugnam capessant. Nostros autem, qui acceptis à Christo, per suos legatos, imperijs præliū inituri essent, sine imperatoris contumelia timere non posse. Atq; hæc si omnis, ea in causa, humana diligentia desperetur. Ceteroquin quis prohibet, certas esse horas sui inspiciendi, renouandi, incitandi, immo & certos dies? An subducere se ex hominum cœtu, animi sui curandi gratia, nostri nequeant, quibus sæpe publico abstinendum erit, vt vitæ consulant? Denique nihil durius de nostris hominibus timendum esse, quam de alijs ex seculari ordine sacerdotibus. Horum autem, qui in ea causa adhuc laborarint, quam multos etiam ad martyrij decus alacriter peruenisse? Quo sane attritis spiritalis vitæ viribus, animoque imminuto non aspiratur: vt omnibus documento sint, annonam Christi militi nunquam deesse. Iam ijs quæ de suspicione turbandæ Reipublicæ adduntur, caueri posse: principio seuere omni colloquio de publicis rebus nostris hominibus interdicto, iussisque hoc ipsum priuatim, ac publice quacumque se tulerit occasio, omnibus aperire. Denique omnes viæ, quibus id iure de nobis existimari possit, quantum in nobis est, summa diligentia præcludantur. Tum vero improbitati

ac maledicentiæ inimicorum nisi occurratur, æquo animo ferendum. Mendacia, & calumnias sperni felicius, quam caueri. Nam hæc vt fallacia sint, non sunt diuturna. Diem, Deumque veritatis vindices, atque assertores, magno animo expectandos. In summa, fidendum Domino: cuius causa, si calumniæ timentur, nunquam fortiter propugnatur. His sententijs tracta in multos dies deliberatio est. Vicere tandem, qui suscipiendam expeditionem suadebant, vtique posteaquam P. Claudius Aquauiua prouinciæ Romanæ Præpositus in consilium extra ordinem adscitus, eam tanta vi suasit: vt ad extremum à Generali Præposito eam sibi supplex prouinciam deposceret. Adeo salutaris tamen sententiæ auctor fertur Oliuerius Manareus; qui negotijs Germaniæ, totiusque Borealis tractus præfectus, Assistens Germaniæ appellabatur. Hæc ita agitata, confectaque Euerardus ad Pontificem Gregorium extemplo defert. Pontifice, quæ gesta erant omnia comprobante, ac tantis cœptis fausta omnia precante, expeditio decernitur. Altera iam eligendi, cui tantum onus imponeretur, cura, expeditior fuit. Tantum inter Anglos è Societate reliquos Robertus Personius, & Edmundus Campianus eminebant. Personius vltimam eo anno Theologiæ studijs manum imposuerat Romæ: Campianus in opere detinebatur *Pragæ*, cuius etiam, vti supra memora-

morauimus, mentem explorarant. His sacerdotibus duobus, Rodulphum Emersonum laicum ex illis, qui externo operi in nostra Societate adhibentur, adijciunt. Robertus, ac Rodulphus Romæ erant; Edmundus Praga per litteras Romam euocatur.

CAPVT XIV.

Praga Romam, Roma in patriam, acceptis expeditionis Anglicæ mandatis, proficiscitur.

QVod vbi primum Pragæ rumor tulit, mirum est quam ægris omnium animis sit acceptum. mœrebant scilicet nostri, exterique tantam sibi humanitatem, tantam suauitatem, ac sanctimoniam subito eripi. Iam eius modestia, iam rerum mortalium despicientia, iam prompta in omne obsequium voluntas, iam castimoniæ laus integerrima, non solum animis, sed etiam verbis, discessum eius querelis prosequentium, vsurpabantur. Erat domi simplicis pectoris, & egregie pius è nostra Societate vir Iacobus Gallus, domo Silesius; hic ea nocte, quæ Campiani Praga abitum præcessit, clam è strato surgens sopitis omnibus, dormientis Campiani cubiculum carbone sic inscripsit, P. EDMVNDVS

CAMPIANVS MARTYR. Et ille quidem indicio post paulo deprehensus, causam facti quærentibus, instinctu se actum respondebat: neque domesticæ disciplinæ tuendæ causa impune tulit. Notatum tamen eo tempore à nostris est, & quia euentu comprobatum, ad memoriam insigne visum: eo maxime, quod suspensæ alioqui mentis, & sæpe diuinas inter cogitationes attonitæ, nocturnus ille scriptor habebatur. Praga Romam Edmundus quod vetere instituto plane pedes non venit, aliena caritas non eius de paupertate quicquam remittendi voluntas effecit. Primo enim Praga abeuntem Ferdinandus Austrius non sanguinis quam pietatis gloria maior, suo curru accepit; & Oenipontum vsque deduxit. Inde Patauium pedes, Patauio Romam, ita iubentibus Societatis eo loci moderatoribus, equo vectus est. In eamque vrbem non ante peruenit, quam a. d. quartum Nonas Apriles, ipso scilicet Paschæ peruigilio, quod eo anno Apriles Nonas biduo antecessit. Romæ non nisi octiduum egit, dum templa omnibus sanctitatis vestigijs notata salutaret. Ab Euerardo interim Robertus, atque Edmundus remotis arbitris appellati, mandata suscipiendæ expeditionis accipiunt. Primũ illud fuit, eam non nisi ad salutem animorum, pro Societatis more, institutam. Nihil ergo sibi præter consueta in eã rem arma tractanda, Sacramentis rite Catholicos


pro-

procurandos, aberrantes à religione orthodoxa pijs monitis, vitæ exemplo, ardentibus ad Deum precibus reuocandos. Omni ope fidem rectam, morum integritatem, vel instaurandam, vel confirmandam. Nihil vero sibi seuerius interdictum sciant, quam publicæ rei administrationem. In ipsis vel priuatis, vel publicis de pietate, ac religione sermonibus, quidquid nouandarum rerum speciem habere potest, enixe fugiant. Denique omnia agant, quo seditionis suspicioni, & calumniæ aditus præcludatur. Inde tantummodo labem nostro nomini aspergi, conatus eludi, labores posse euanescere. Per Deum immortalem, per eam quam Deo, sibique debent obedientiam, per intactum Societatis decus, hoc vel orare se, vel pro imperio iubere. Hoc sibi, hoc Societati, hoc Pontifici ante omnia honorificum fore, si illa vox libere, integreque vsurpari possit à suis copijs: *Non quærimus vestra, sed vos*. Sub hæc, quod verbo monuerat perscriptum Personio tradit, quem sacræ illius expeditionis ducem dixerat. Subinde vtrumque Pontifici sistit. Eos Pontifex humanissime exceptos officij admonet, & fausta omnia precatus à se dimittit. Manarat interea totius huius consilij rumor inter pios, qui Romæ versabantur, Anglos. Tanto exemplo quasi illustri proposito signo commoti, eandem sibi quisque profectionem deposcebat. Impetrarunt pauci.

inter hos grandi natu ſenes non minus ſex, eminebat Thomas Golduellus Epiſcopus Aſaphenſis, qui ætatem in longo exilio pro religione exactam martyrio claudere feſtinans, pertinaci prece tantum laborem à Pontifice extorſit verius quam impetrauit. Epiſcopum annis, & auctoritate ſequebatur Nicolaus Mortonus. Hic Pontificius ad D. Petri Romæ Pœnitentiarius conſcientiæ cauſis ampla cum poteſtate præfuerat. Quatuor præterea addebantur modeſte acta vita inſignes Sacerdotes, qui à ſacris fuerant Anglici xenodochij, Eduardus Brumberius, Gulielmus Ghiblettus, duoque alij quorum excidere nomina: cognomina fuere, Cranus & Kempus. Tres inſuper recens inſtituti Anglorũ Romæ Collegij alumni Rodulphus Sheruinus, Lucas Kirbæus, Eduardus Riſthonus; florenti iuuenes ætate, moribus incorruptis, ingenio tũ acri, tum diſciplinarũ optimis exculto. Prorſus quales fœcundi clariſſimorũ Martyrũ Seminarij decebat eſſe primitias. Acceſſere poſtremo laici duo, nobili vterque loco, nec morib⁹ degeneres, Thomas Bruſcous, & Ioannes, cognomẽ hominis taceo, ne piæ familiæ nomen violetur. Ex his, duo ſenes illi quos priores nominauimus, Aſaphenſis, & Mortonus, in Belgium præmiſſi in equis ſunt, quod graui admodũ ætate, pedeſtris itineris, quod reliqui ſuſcipere conſtituerant, moleſtias, laturi nulla ratione videbantur. Ita duodecim omnino, ſi

tres

tres é Societate annumeres, viri, coniunctis animis, communicatisque consilijs, partim iubente, partim permittente, omnibus bene precante Pontifice, Roma in Angliam profecti sunt ante diem quintum Idus Apriles. Parua certe, sed inuicta cælestium, duce Christo, bellatorum manus. Deducti extra Vrbis mœnia ad pauperis triumphi speciem ab Anglis, qui Romæ erant, omnibus; ne ipso quidem excepto Thoma Scellæo, viro inter Anglos Romæ ea tempestate commorantes, & nobilitate, & dignitate magno. Hierosolymitanorum quippe Equitum in Anglia magister, (magnum Angliæ Priorem appellant) quamuis opulentis redditibus ab hæretico interuersis; morum tamen constantia, & vitæ integritate veterem maiestatem tuebatur. neque Oliuerius Manareus defuit. qui bonis Christi militibus ad pontem vsque Miluium deductis, Præpositi Generalis nomine bene precatus, laudes, & inuidiam tam claræ expeditionis retulit domum. Ab his ergo omnibus post mutuos tandem amplexus, osculorum, ac lacrymarum suarum, alienarumque pleni Campianus, & comites diuelluntur.



CA-

CAPVT XV.

Comitum Campiani casus, & exitus.

NON ineptum fecero, si Campiani comitum casus, & exitus vnum veluti sub aspectum hoc loco ponam. Neque enim forte deerit qui quorum eadem *vocatio* fuit, scire aueat an eadem fuerit *electio*. Et est in nonneminis ex ijs casu, quod multos consimile iter ingressos modestiæ admoneat, doceatque, nihil magis ad celsissimas huiusmodi expeditiones, quam demississimum animum esse afferendum. Ergo vt à supremis ordiamur; Asaphensis Episcopus Golduellus, & Vaticanus Pœnitentiarius Mortonus, quos præmissos diximus; Romam è Belgio, antequam in Angliam traijcerent, rediere, vt in loco memorabo. Ibi quam integre duxerant vterque vitam, extrema in senecta sancte clausere. hoc vno mœsti, quod quam naturæ in otio reddebant, non inter arma, & ferrum stantes, pugnantesque Deo, ac Domino animam impenderent. At ex ijs, qui campum, & arenam Anglici certaminis tetigere, duo martyrij palmam sanguine mercati cœlestium triumphatorum numerum auxerunt, Rodulphus Sheruinus, & Lucas Chirbæus. Ille cum Campiano, hic post menses ab Campiani triumpho sex, lauream adepti. Quamquam

quam enim Chirbæus simul cum Campiano capitis damnatus est, non ante tamen pridie Calendas Iunias anni consequentis, collegis gloriæ Thoma Cottamo, Gulielmo Philbœo, & Laurentio Richardsono, inuidenda morte vicit. Non longe ab tanto decore Eduardus Risthonus abfuit. Strenuus hic Christi miles post semestres vtilissimos labores, dum ardens caritate auditores ad Personium audiendum Londini olim cogit, captus ab ijs qui regio iussu Personium vestigabant, communi primum carcere clauditur, quod nondum de affingēdo Catholicæ religioni maiestatis crimine hæretici cogitarant. Mox vbi ea calumnia placuit, in Londinensem arcem, quasi tum demū adeo fœdæ noxæ factus reus, transducitur: neque diu post capitis damnatur, magno animi sui, veroque gaudio. Sed nimirum Dei donum martyrij decus est. Multis alia omnia cogitantibus ingeritur; alijs iam iamque triumphantibus de curru pene deiectis aufertur, vt intelligas *neque volentis esse, neque currentis, sed miserentis Dei.* Risthonus certe tractus cum Campiano, ceterisque martyribus ad iudicium, damnatusque, post diutinum carceris durissimi squallorem, exulatum deportatus in Belgium, in Catholicæ pacis otio placide post annos aliquot in Domino obdormiuit. Non dissimilis Ghibletti casus, nisi quod damnatum eum fuisse non inuenio. Ceterum sæuis vexatus

vinculis, perque omnes indigni carceris acerbitates annos aliquot exercitus, mortuo similior, quam viuenti, ipse quoque in exilium eiectus, Romæ inter pias ereptæ sibi palmæ querelas obijt. Neque sane alia Bruschoi esset conditio, nisi repetita constanter post exilium Anglia discriminaret. Post res hic egregie gestas in Cantio, quæ vna est ex ijs, in quas Angliæ regnum tributum est, prouincijs, indicio caluitij captus, & temperantiæ, quod carnes Purificatæ Virginis peruigilio comedere, hospitali in conuiuio recusarat: annos sex inhumano carcere attritus; in ijs hebdomadas totidem belluarum ritu, subterraneo in specu, tumulatus verius, quam abditus, superfuit hostium sæuitiæ tamen: quæ siue tam inuidiosæ carnificinæ iam pertæsa, seu clementiæ vanam speciem apud exteros captans, seu denique probabilis in eo viro criminis indiga, exilium, beneficij loco, innocenti sciuit. Vsus occasione vir omnino indefessus, Romæ sacerdos factus est, iterumque in Angliam remigrauit. Eo in Domini agro vtiliter, quo primum tempore Campiani hanc historiam ordiebar, Christo Deo, & Ecclesiæ operam nauabat. Citius opere solutus Brumberius est. Magno animi ardore statim vbi patriam attigit, partem colere, quę illi voluntate collegarum obtigit, Anglici noualis aggressus; mense septimo summis laboribus, quibus pares respondebant fruges ani-

morum,

morum, receptus ipſe in cœleſte horreū, ſancta, piaq; morte finem fecit. Idem exitus Rodulphi Emerſoni è Societate IESV laici. Non multo poſt Campianum coniectus in vincula, vltra vigeſimum eo in ſquallore tranſegit annum. Tranſportatus inde in continentem Reginæ iuſſu, reliquum vitæ in Belgio, non ſine inſigni ſimplicitatis, & innocentiæ laude traduxit. Superſunt iam hinc comitum paria duo. Chrani, & Chempi: Perſonij, & Ioannis. Et primi quidem, nulla re alia mihi quidem cogniti, niſi hoc ſuſceptæ tam ſalutaris cum Campiano expeditionis ſtudio, cetera ſilentur. Reliqui duo ſunt Perſonius, & Ioannes. par hominum omnino diſpar, non vitæ conditione magis, quam claritudine; neque plus ingenio, quam factis diſcors. De poſteriore prius, ne lætam ſacris triumphis narrationem funeſta deſertoris defectione concludam. Ioannes iuuenis fuit nobili loco in Anglia natus. Romæ Gregorij XIII Pont. liberalitate annos aliquot laute vixit. Sheruini diu diſcipulus, Catholicę rei ſtudium ex magiſtro, non modo litteras, bonaſque artes didicit. Sed ingenio erat, vt multis videbatur, egregie elato, vt quibuſdam, non mediocriter leui. Effrons certe creditus à melioribus, occaſionumque captator interritus. Nihil aſpectum etiam ſummæ maieſtatis putare: Gregorium, apud quem gratioſiſſimus ob religionis amorem fuit, frequens adibat,

nullo, vt ceteri, pauore ex reuerentia. Ambitiosus idem, & auræ Principum appetens ſupra modum, quod fere euenit, vt nemo ſummorũ virorum gratiam flagrantius aucupetur, quam qui adeptus vilius habet. eiuſdẽ enim arrogantiæ eſt & magna nimis impotenter appetere, & vbi obtigere, parui facere. Quæ omnia cum vitia in Ioanne eſſent, dum ſtudio repetendæ ob religionem patriæ, ſementiſque in ea Catholicæ faciendæ obteguntur, apud optimum Pontificem, ardentesque ſtudio rerum gerendarum alios, pro virtutibus laudabantur. Non fallebant Sheruinum tamen: ſiue quia, vt erat perſpicaci ingenio, acute multa prouidebat: ſiue quia interior familiaritas fucum, qui alijs obijciebatur, abſterſerat: ſeu denique quia diſcipuli caſus magiſtro martyri diuinitus innotuerat. Quare cũ toto in Angliam itinere pene pueriliter Ioannes laſciuiret: modo curſu reliquos præuertens: modo interſiſtens: aliqua facete de hæreticis, de ſe, comitibusque plurima glorioſe iactaret: ſæpe diuina iudicia minatus illi Sheruinus eſt, quibus nimiam ferociam compeſceret. cumque indomitæ iuuentæ ardor non remitteret; frequens hoc erat ad illum magiſtri carmen. Caue tibi Ioannes. Deus iſtam confidentiam contundet. Neque aliter quam martyr vaticinatus eſt, accidit. Dum glorioſius, quam cautius, Catholicum agit in Anglia; vinculis onuſtus ad arcem Lõ-

dinen-

dinensem deportatur. Ibi cum propius admotus à vafris satellitibus quæstionum terror metuenti esset; facile apparuit animus degener, & periculo minor. Re ad Odoënum Hoptonum delata, in Senatum aliquot post diebus, vt defectio clarior esset, eo autore deducitur. Sedebat inter Senatores Hoptonus ipse. conspectisq; Ioannis vinculis (vinctus enim ducebatur) quasi miseratus nobilis iuuenis conditionem, simulqueveluti mentem introspexisset, amaretque facilem, & Reginæ iussis minime repugnantem: Quid „ vos, inquit versus ad satellites, generosum „ istum iuuenem vinctum trahitis? Sponte ille „ venit. Dignum se, dignum sua gente animũ „ gerit. Tum continuo ad Ioannem: Adesdum „ domine Ioannes. hic apud me commode „ sedebis. Iura tamen prius in Reginæ, qua „ Ecclesiæ Anglicanæ suprema moderatrix est, „ verba. Nondum desierat; cum trepidanti ex recenti spe homini iusiurandum in membrana perscriptum offertur. Neque ille cunctatus, omnia peragit ex formula. Iusiurandum clara voce concipit, confestimque admittitur in consessum. Refrigerauit tam timida, leuisque præuaricatio cœtum vniuersum. Vixdum assederat, cum hæretici etiam omnes, nedum qui frequentes aderant Catholici, respectare se mutuo, tum subridere, denique nutu ipso, & tota facie contemptum, irrisumque tam abiecti pauoris præseferre.

Neque hic fœde facti . ignominia constitit . Iam tum primo quasi obmurmurarent, sed ita ut ille exaudiret; sales, & iocos non sine dente in eum,& morsu iactauere spectatores. quod etiam paulo post,dum misso Senatu abscederent, conferta in turba liberius factitarunt. Ea aduersæ famæ facies adeo hominem, quamuis ferrei oris, confudit, vt confestim Londino excesserit, seque in vltimum Cantij prouinciæ angulum abdiderit. Vtinam salutari verecundia. Neque enim amplius, quid illi factum sit, compertum habeo. Ita nimios spiritus, deque se altius sentiẽtes comprimere ille nouit, *qui superbis resistit, humilibus dat gratiam*. Venio ad Personium. quo de viro, cum primum hanc historiam commentabar, quoniam inter mortalis vitæ pericula agebat, ipseque insuper Christianæ modestiæ studio, omni quoad possem,sui me commemoratione prohibuit; quamuis inuitus silui. Nunc posteaquam ille æternitatis inuectus portum, neq; sibi quod timeat habet, & in nobis pietatem, virtutumque paternarum meditationem, qua facilis ad imitationem transitus est, amat: scelus facerem nisi pauca pro loco memorarem, quibus iusto, quod de rebus eius gestis meditor, volumini proludam. Hic clarissimæ olim insulæ saluti destinatus à Deo, omnibus ad tantum opus instructus est seu diuinis, seu humanis ornamentis. Amor in Deum, & proximum illi flagrans, & actuo-

sus.

ſus. Animi excelſitas incredibilis, quæ nihil de Chriſtiana humilitate decerperet. Prudentia non animorum modo tractandorum, ſed flectendarum etiã voluntatum admirãda. Quam tamen ſimplicitas in domeſtica conſuetudine prorſus amabilis condiebat. Ingenio ad imperandum facto; neque quiſquam tamen libentius, alacriusque paruit. Bonis in litteris ſtrenue verſatus. eam tamen earum partem apprime coluit, quæ controuerſos cum hæreticis locos ad normam diuini verbi, Patrumque regulam exigit. Hæreſis oſor acerrimus, quam conſiſtere nullo loco paſſus, tam acute, eloquenter, feſtiue multis exagitauit libris, vt doctrinæ gratia, & elegantiæ ab ipſis etiam hoſtibus lectitatus, ſalutarem pleriſque aculeum exuendæ impietatis infixerit. Aderat etiam digna tanto animo corporis ſpecies, quæ ad fallendum ſæpe in Anglia ſatellitem; ad terrendum nonnunquam valuit. Accedebat propria quædam orationis ad quidlibet perſuadendum efficacitas; vt Suadæ medullam populares eum ſui olim dixerint. Denique vir fuit, quo ſi fingi ad huiuſmodi ſacra bella melior animo & cogitatione facile queat; fieri re ipſa, & exiſtere difficulter queat. Hic ergo tantus vir datus Campiano dux, poſteaquam ſingulari animi præſentia, feliciq; dexteritate aditum illi, immo Societati IESV vniuerſæ in Angliæ regnum princeps aperuit: poſteaquam millia

aliquot aberrantium popularium, & in ijs è prima nobilitate complures, ad salutis iter per labores assiduos, pericula etiam inaudita reuocauit: post elusas non semel admirabiliter regiorum cruentas manus: denique post initum constantissime, quod ad martyrij decus ducere consueuit, iter: longe alio auersus diuinitus est ea gratia, si diuina consilia scrutari fas homini mortali fuerit, vt esset, qui tam sanctum, internecini aduersus hæreses Anglicas belli, opus, contra omnia Satanæ machinamenta promoueret. Quare post Edmundi necem nominatim à regio Senatu proscriptus, ingentique sicarijs mercede proposita ad cædem quæsitus, tandem ex Anglia per legitima suorum imperia reuocatus, non totus abijt. Animum certe ita in eius salute defixit, vt eum abesse, non nisi ex frequentibus, quæ subinde submittebat cuiusuis generis subsidijs, Angli intelligerent. Incredibile dictu est, quam multa, quam feliciter pro patriæ salute peregerit. Exules pro religione, profugosque, apud Philippum Hispaniarum Regem, cui virtutum merito carissimus fuit, enixe iuuit. Collegia ingenuorum ex Anglia adolescentium duo in Hispania condidit, tertium in Belgio, amplisque redditibus stabiliuit. Sacram hanc, aduersus impietatem patriæ, ac peccata expeditionem, quam primus è Societate susceperat coram, absens consilijs, autoritate, imperijs (nam Præfectus

eius operis à Generali Præposito Societatis Claudio Aquauiua summa cũ potestate dictus est) pecunijs etiam, & gratia Christianorum Regum, & Principum annis plus triginta sustentauit. Nihil interim ad se priuatim ex tanta Regum beneuolentia deriuabat, aut affines. Fratrem germanum ne epistola quidem Philippo Regi, cui ille militare constituerat, commendare sustinuit. Sacram Romani Senatus purpuram, ad quam se ab eodem Rege vocari compererat, antequam Pontifici Regis postulatum innotesceret, grauissima oratione, verissimisque lacrymis deprecatus à Clemente VIII est; multum mirante Pontifice, qui se ea de re ne cogitasse quidem diceret. Quod Personij factum humanitus prudentes exagitent licet: quippe qui tempestiuitatem expectandam fuisse dicant, ne se vel obtulisse ipse Pontifici specie recusantis, vel Regis de se iudiciũ præcoci ambitione iactare voluisse videretur: certa tamen cœlestis prudentiæ ratione nixum satis constat. Prouidebat enim vir sagax, & similibus experimentis doctus, nisi præpropera hac diligentia gratiæ aditum præclusisset; frustra maturis iam, confectisque rebus, occupatas regijs postulatis Pontificis aures, serum deprecatorem pulsaturum. Huic veræ Christiani animi magnitudini reliqua ad extremum omnia respondere. Caritas in vniuersos ad vltimum spiritum indefessa. Intenta in omnes partes

vigi-

vigilantia. Muta rebus in aduersis, sed hilaris patientia. Pietatis studium, & religionis vsu ipso pie, religioseque viuendi in dies ardentius. Quibus vitæ, & præsentis solatijs, & futuræ pignoribus, carissimus nostris, hæreticis inuisus, maior sexagenario Romæ feliciter finiuit. Exemplum omnibus, qui in hæresim Anglicam vel coram, vel per scripta bellum cient. Hæc comitum Campiani non vna sors, & conditio fuit. Nos interim ad institutum eorum in Angliam iter, vnde aberrauimus, reuertamur.

CAPVT XVI.

Itineris in Angliam ratio.

ITer inde Campiano totum pedibus emensum; nec nisi dysenteria, febrique tentatus, die vnico vectari se permisit. Itineris ratio hæc fuit. summo mane sacris, vbi facultas suppeteret, operatus, dabat se in viam pedes tanta celeritate, vt breui visum etiam sequentium effugeret: id eo consilio faciebat, vt à comitum consuetudine, omnique strepitu ac turba semotus, mentem rerum diuinarum contemplatione liberius suspenderet. Hanc preces aliæ conceptis ex orario verbis concludebant, siue quas sacerdotij necessitas, siue quas voluntas liberæ precationis indixerat,

cele-

celebriorum etiam venerationem Sāctorum, quam Litanias græco vocabulo dicimus, nūquam prætermisit. Plures horas ea commentatio, & precatio tenebant. Iis exactis, ita de itineris contentione remittebat, vt superuenientibus comitibus, in iucūdissimam se societatem daret. Idem inclinato in vesperum die, rursus concitato gradu comites præcurrens, par matutino tempori diuinis rebus tempus impendebat. Neque nisi rerum cælestium contemplatione plenus, comitibus iterum reddebatur. neque ceterorum fermè religio multum aberat. quæ ne curis alijs differretur, Personius prouiderat. Vni enim ex omnibus, rerum victui necessariarum; alteri precum, atque eorum quæ ad animorū cultum attinent, curam in orbem, statas per vices iniunxerat. fuitque celebre per Italiam, pios inter viros, eorum iter. Bononiæ maxime, & Mediolani. quibus vrbibus sanctimonia inclyti Antistites duo præerant. huic Carolus Borrhomæus Cardinalis, illi Gabriel Paleottus. ab vtroque humanissime excepti, mensæque adhibiti, tum mensis sublatis, pijs colloquijs exerciti. eiusmodi enim acroamate sanctissimi illi Præsules epulas condire consueuerant. Verba vtrobique habuere Campianus, & Sheruinus. Auditus cum approbatione auditorum vterque, cum admiratione etiam Campianus. Borrhomæus certe, non modo inolito pie-

tatis, sed nouo etiam audiendi Campiani studio, ipsum octiduum hospitibus religiosas lautias domi suæ præbuit, ac perorantem Campianum quotidie à prandio audiuit. Postremo familiari ipse conciuncula, diuino ardore succensus, ad religionis propagandæ studium, & martyrij decus omnes accendit: prouolutisque in genua solemni more, ac ritu bene precatus; etiam vniuersam aduersus hæreses sacram expeditionem, exquisitis Deo precibus, palam Antistes optimus commendauit.

CAPVT XVII.

Geneuæ cum Beza, eiusque discipulis velitatur Campianus.

HIsce itineribus cum ad fines Allobrogum Campianus, socijque peruenissent; ne per eos iter, vti constituerant, facerent; rumor prohibuit, quo eum tractum omnem militibus teneri ferebatur, qui paulo ante è Belgio, ita prouincia postulante, Ioannis Austriaci iussu excesserant. Flexum ergo ad Geneuam iter est. Est Geneua opidum in Allobrogibus peruetus, & adiacentis lacus oportunitate, siue ad munimentum, siue ad rerum copiam insigne. Huc superiore seculo hæreticorum fraus irrepens primo, deinde

irruens

irruens, paulatim ita adoleuit & confirmata eſt; vt vrbs tota eiecto legitimo magiſtratu, hæreticorum nidulus in Italia, & receptaculum facta ſit, nequicquam frementibus accolis, Italiaque vniuerſa: quibus etiam graue videbatur ad periculum, & inhoneſtum ad dignitatem, Caluinianam peſtem in Italiæ aditu ad patriæ contagionem conſediſſe. Etenim illi per fraudes omnes Germaniæ, Galliæ, Angliæ dynaſtas Caluini labe pollutos, ita arcto ſibi fœdere iunxere, vt ſupra naturæ, manusque munimenta, fœderatorum armis aduerſus belli vim omnem, ſint plane inexpugnabiles. Suis viuit ea ciuitas legibus, poſteaquam legitima imperia Ducis Allobrogum excuſſit. Senatum per quaſdam vices legit, quo ad Reipublicæ ſpeciem regitur. Catholicam religionem quamquam penitus exploſit; Catholicis tamen liberum triduo hoſpitium, iterque præbet: magno ſiue lucro ſuo, ſiue peregrinantiū commodo. Ita enim Galliæ, Italiæque obiacet, vt vltro citroque commeantibus ægre præteriri poſſit. Huc vbi diuertere noſtri; extemplo de more ad ſenatum perducuntur. De patria primum, mox religione interrogantur. vbi redditum reſponſum eſt & Anglos eſſe, & Catholicos. admiratio Senatum inceſſit, tantum Catholicorum hominum ex Anglia confluxiſſe. Dimiſſi inde ad hoſpitia, prius ad Theodorum Bezam, Caluinianæ factionis anteſignanum,

dedu-

deducuntur. Id ipsi expetiere. Corrupti Euangelij vires in duce tanti nominis, vel aliqua velitatione, vel iusta, si fieri posset, pugna explorandi ingens eos cupiditas incesserat. Iam ad vesperam vergebat dies, cum Bezæ domum peruenere. Domus erat facie vulgari; altitudine nec modica; nulla contignatione: itaque plano solo habitabatur: fores in vulgi morem occlusæ. Eas pulsantibus hospitibus Candida aperuit, amatorijs Candida tanti Euangelici carminibus famosa: quamquam domi tunc ab illo recepta iustæ locum vxoris impleuerat. Domum ingressi cultum vident ab exteriori specie haud sane abhorrentem. supellex exigua; prorsus sordes. Nam quæ solet in Christianorum hominum voluntaria paupertate cælestis nescio quæ maiestas eminere, longe ab eo tecto aberat. Excipiuntur à Beza non inhumaniter. post mutuas salutationes, extemplo captatur à nostris pugnæ aditus: Ea prima interrogatio prælium commisit, Ecquid tandem inter Lutheri, Caluiniue discipulos in Euangelica doctrina esset discriminis? Negat vllum esse Beza. illos vnius alumnos Euangelij nulla fecisse doctrinarum diuortia. Quid ergo, addit ex nostris quidam, tantopere vestri inter se Angli digladiantur, Lutheranis Puritanisque, infestis, inter se non modo animis ac linguis, sed etiam ferro & armis concurrentibus? Tum Beza; Est is,

inquit, nimius quorundam plus æquo Christiana charitate feruentium zelus; vti ne vmbram quidem dissensionum inter nos ferre possint. Imprudenter. Nihil enim tam vnum est, quin aliquod dissidium admittat. Ceteroqui animaduertere illos debuisse, adeo paucis, adeo leuibus vtrumque populum de rebus dissentire, vt ne dissentire quidem videãtur. Continuerat hactenus sese Campianus, & seruili habitu latuerat in postremis. Tum vero impudentia Bezæ victus, vocem non habuit in potestate. Gradu modeste facto, Ain' tu vero, inquit? paucis leuibusque de rebus Lutheri, Caluinique scholæ dimicant? Affirmante Beza: Ego vero, adijcit, de plurimis esse arbitror, ijsque grauissimis. Quid enim? An tu Christiana Sacramenta inter leuia numerabis? nõ puto. ijs enim, te auctore, nostræ vis fidei, vel concipitur, vel nutritur. At de ijs identidem Lutheri, Caluiniq; asseclæ contenditis. Neque numerus illorum inter vos, neque vires eædem. non origo, nõ accipiendi, tradendive disciplina constat. Apparebat hominem facundum in vbere argumento non ineloquentem futurum. Igitur eius orationem Bezæ calliditas præcidit. Homo veritate perturbatus, non occulto admodum hospitibus nutu, Candidam monet. Hæc non ignaua doli artifex fasciculum litterarum viro, quasi recentem è Gallia, statim affert. Inciso lino resignatas dum Beza tacitus legit

epísto-

epiſtolas, ceteris ſcilicet tacendum fuit. Inter legendũ indignationis plenus Beza, quaſi caſu acerbiſſimo nunciato, fremere in Henricum Guiſianum Ducem: eius vitio regnum Galliarum ruere: turbari otium publicum: nihil ſanẽti, nihil tuti eſſe. Sub ea, quia ne ſic quidem à propoſita quæſtione diſceſſuros hoſpites ſentiebat, negotijs recentibus excuſatis, humaniter appellatos dimittit. Pars humanitatis fuit quod eos Anglo cuidam homini hæretico, hæreticæ ſuperſtitionis Miniſtro coram commendauit. Degebat Geneuæ ea tempeſtate Georgij Haſtingi, Huntingtonij Comitis Angli, maximus natu filius. Eum pater, obſtinatiſſimæ impietatis vir, corruptam religionem haurire ex ipſo fæcis fonte iuſſerat. Bezæ traditus in diſciplinam, honeſto comitatu, Geneuæ magnus habebatur. Huic is de quo dicimus hæreticæ Miniſter prauitatis, morũ præfeẽtus à patre datus, ad hoſpites, Bezæ accerſitu, venit. comitem illi ſe Anglus item nobilis adiunxerat, cui Polæo nomen fuit. Hic artium, vt vocant, magiſter Oxonij creatus, Campianum de facie notũ magno in pretio habuerat. Ab his duobus noſtri ad hoſpitium deducuntur. Neque ibi diu quies. Cum his ipſis, alijsque impatiens noſtrorum calor, certamen de religionis controuerſijs commiſit. Liberior vt foret diſputatio, iubente Perſonio, in publicas exitum vias ſpecie inambulantium. Iam nox diſpu-

diſputantes oppreſſerat, æſtiuæ tamen, quam vernæ (adulto ſcilicet Maio) ſimilior. Luna pernox, calens cælum, ardens animus, liber excurſus, nocturnum ſilentium, integrauere pugnam. Obeunt diſputabundi vrbem, tanta incaleſcentis animi alacritate, vt vicinias ſtrepitu, vias clamoribus complerent. Obſtinatos vtrinque animos Perſonius diremit. Hunc Polæus monuit, ne nimium ſuorum ardori indultum vellet. Catholicorum hoſpitum libertati poſſe tantam certantium licentiam officere. Magiſtratibus multa ex ijs quæ dicebantur, ipſam dicendi rationem ſuſpectam, inuiſamque: proinde receptui canat, ſeque, ac ſuos diſcrimini eximat. Hæreticos pupugerat ſupra cetera Campiani, Rodulphique Sheruini, itineris tum comitis, deinde collegæ martyrij, conſtans in religione tuenda libertas. Hoſtem vterque tanta argumentorum vi, tanto numero, ac mole teſtium in arctum compulerant, vt omni præcluſo effugio, ad vnius ſe auctoritatem Bezæ reciperent; rati Pythagorico illo, Ipſe dixit, omnem ſe telorum vim propulſaturos. Sed neque hic vrgentis Campiani, Sheruinique vim tulere. adeo contemptim Bezæ nomen vterque excipiebat, adeo auctoritatem eleuabat; vt nihil in illo plus ponderis eſſe, quã in ipſis, qui eius ſe nomine tuerentur, palam affirmaret. Progreſſusque longius Sheruinus, Vt quanti, inquit, veſtrum iſthuc per-

F fugium

fugium apud me ſit, intelligatis; vbi illuxerit, medio Geneuæ foro cum ipſo Beza publicum de religione certamen mihi depoſco; hac lege, vti igne ante nos flagrante, victum pœna protinus incendij ſequatur. Arbitrum cauſæ Deum, cælum, mortales omnes admitto. Neminem, qui ſenſum hominis habeat, defugio. Denique ſi pugna non detrectatur, pugnæ conditiones & dare paratus ſum, & accipere. Tantos ſpiritus inter iniquiſſimos etiam iudices, cauſæ æquitas futuro Martyri dabat. Hæc, horumque ſimilia vehementius iactata receptum Perſonio perſuaſere. Digreſſi ab aduerſarijs noſtri magnam noctis partem alienatis cupidine victoriæ animis abijſſe animaduertunt; quieti quod ſupererat dedere.

CAPVT XVIII.

Geneuenſem Miniſtrum vexat, veterem amicum ad ſpem ſalutis vocat.

ANtequam illuceſceret, Campianũ Perſonius præire ſtrenue iubet: propterea quod nocturnis tenebris, ac tumultu, ne à Polæo agnoſceretur defenſum, prodi luce noluerat. Quamuis enim ingenij minime

mali

mali Polæus, fideique in amicos integræ haberetur: plus tamen in corrupta eius religione suspicionum, quam in integra fide spei esse, gnarus hæreticæ perfidiæ Personius rebatur. Iam passus admodum mille processerat Edmundus, cum seueri vultus, habitus grauioris hominem libero spatiantem campo conspicatur. Et facies vultuosa, & argutiæ digitorum, & manuum complosio, incessusque citato modo, modo suspenso gradu restitans, & inæquabilis, indicium fecit hominis concionem meditantis. Ratus id quod erat, hominem esse ex hæreticis non indoctum (Minister verbi fuit non postremus inter suos) committendi pro religione certaminis studio exarsit. Præter propensum ad eius generis prælia ingenium, etiam nocturnæ ardor pugnæ nondum plane consopitus extimulabat. Post breuem salutationem, vt aditum pugnæ inueniat; de forma regendæ Geneuensis Ecclesiæ quærere curiosius institit. Illud præcipue: cuinam conuentus moderandi supremum ius esset? Cum à nouem Ministris publico ciuium suffragio delectis rei summam administrari ille respondisset: rursus quærit, his ipsis nouem quisnam summa cum potestate præsit? Vbi neminem vnũ respondit hæreticus: neque enim fas esse vnũ aliquem Ecclesiæ dominari, quam Christus Dominus liberam esse voluisset; insignem hominis inscitiam non alio prius, quam hæ-

reticorum exemplo refutare ſtatuit. Veſtræ ergo diſciplinæ fœmina, Angliæ Regina, hæreditariam Anglicæ Eccleſiæ libertatem per ſcelus oppreſſit: quandoquidẽ eius ſibi principatum arrogauit. Perculſus adeo improuiſo ictu hæreticus negare primo tantum facinus Sereniſſimam Reginam audere potuiſſe. mox vbi difficilem hinc exitum animaduertit: iure factum ab Eliſabetha affirmare, quod Regina Chriſtiana eſſet. Enimvero tam acuta defenſio riſum Campiano mouit. Ergo ad iocos, vt erat amœni ingenij, extemplo deflectens. Potius igitur Galliarum Regem inquit, Eccleſiæ caput dixero, quia non modo Chriſtianus, verum & Chriſtianiſſimus Rex eſt. At Angla & Chriſtiana eſt, & Catholica, ſubijcit hæreticus; eo caput Eccleſiæ iure dici poteſt. Tum Edmundus cõtinuo: iuſtius ergo Hiſpaniarũ Rex; quem Catholicum Regem orbis vniuerſus appellat. Exarſit tam iculariter vexatus iræ impotens Miniſter, fœdoque conuicio Edmundum aggreſſus, negat iterum Eccleſiæ principatum à Regina vſurpari. Tum enimuero vtrum meridie luceret controuerti cœptum, hoc eſt, An Eliſabetha ſe Anglicæ principem Eccleſiæ faceret. rem compertam, legeque comitiali teſtatam, affirmante noſtro: pernegante ſummis clamoribus hæretico; res nullo arbitro agebatur, nullo moderatore. Itaque tanta iracundia aduerſus pertinacem è plebe,

vt rebatur, hominem elatus Minister est, vt vix manibus temperaret, qui finis omnium ferme cum sectarijs disceptationum esse solet. Interim qui magno interuallo præmissum Campianum sequebantur comites, deducentibus etiam nocturnis disputatoribus, propius aberant. Iis conspectis, quod sibi accessuras fortasse copias credidit Minister, tanta côuiciorum, clamorumque vi instaurare pugnam cœpit; vt facile aduerteret Campianus animos è proximo subsidio in desperata iam causa creuisse hosti. Cum ergo respexisset, suos agnoscens, obedientiæ, quæ præire iusserat, memor; ab insalutato, ac vociferante tum maxime Ministro cursu abripit se. Notauit factum Personius. vbi ad Ministrum cum reliquis accessit, hominem adhuc ex recenti rixa offendit inflammatis oculis, vultu minaci, barbarum nescio quid frendentem potius, quam explicantem. Comiter appellatum interrogat de tanti motus causa. Ille in conuicia confestim effusus, Eum ego hominem, inquit, qui vos antegreditur, furijs agitari reor. Neque satis explico, homo ne sit, an diabolus. Aiebat, & quouis sacramento contendebat Angliæ Reginam Anglicæ Ecclesiæ sibi imperium arrogare. Commentum hominis importuni, Christianorum Regum pietati petulanter illudentis. Inopinata querela varie audientes affecit. Nostri furtim sese respectare, hæreticam causam ho-

minis hæretici iudicio profligatam subridere. At è diuerso Polæus, quique præterea cum eo Huntingtonium, vt ante diximus, regebat, rubore suffusi primo, ac mussitantes, mox quanta maxima poterant lenitate hæreticum arguere, Ecclesiæ principatū Reginæ ab Anglis attributum demonstrare: idque iure factum tueri. Hæc agentibus comitibus, qui identidem respectabat Campianus calumniam, ac mendacium à Ministro veritus, citatiore quam abierat, gradu, reuertitur: præsens causam, vt arbitrabatur, dicturus suam. Vbi aduenit; & pro se pronunciatum, & modestiorem reperit aduersarium. Dum hæc aguntur; Campianum repente Polæus agnoscit, inque eius amplexus auide, amanterque ruit. Adiungit illius inde se lateri, magnoque siue amicitiæ veteris fructu, siue futuræ vsu vitæ, longam cum suo Campiano viam processit. Eum amantissime de summa rerum, hoc est animi salute, verba facientem attente audiuit: sanctéque confirmauit in digressu, se Romam primo quoque tempore profecturum, vbi veræ religioni ex Campiani sententia diligenter addiscendæ operam constanter poneret. ita piæ Campiani menti ne error quidem sine aliqua fruge animorum fuit.

CAPVT XIX.

Rhemis à comitibus Campianus, & Personius diuelluntur.

EXin Alpibus ſuperatis, magnoque Galliæ tractu emenſo, Rhemos, Galliæ vrbem nobilem, peruenere. Eam, quod antea diximus, in vrbem, ob Belgicos tumultus, Duaco translatum erat Anglicum ſeminarium. Factum id ſuadente Alano, Pontifice probante, Galliarumque Rege, in cuius ditione ea vrbs eſt, non inuito. Præcipuum fuit in Cardinale Guiſio Rhemenſi Archiepiſcopo, Guiſij Ducis germano fratre, præſidium. Hic & Alanum Collegij moderatorem, & alumnos, remque Collegij vniuerſam omni ope iuuare inſtitit: breuique res creuit magno validi Principis anniſu. Rhemis noſtri ab Alano, totoque Collegio obuiam effuſo, excepti gratulatione ingenti, non minorem attulere, quam cepere voluptatem. Iucundiſſimum vtrinque ſpectaculum præcepta iam animis patriæ ſalus faciebat. Hinc paratæ iam bonis auſpicijs tot virorum, expeditæque ad eiuſmodi bellum manus: in quo neſcias incolumitaſne magis, an exitium pugnanti in voto ſit, adeo vtrinque victoria conſtat: inde adeo numeroſa, bono patrię, pubes egregijs optimi præceptoris inſtitutis adoleſcens, manantes

gaudio lacrymas ciebat. Vbi mutuis amplexibus expletis prima gaudia remisere; rogatu Alani Campianus concionem ad alumnos habuit de Martyrij gloria, deque laboribus Christi causa suscipiendis, in illa verba: *Ignem veni mittere in terram*. Ea in concione animi ardore vsus est, si vnquam alias flagrantissimo, euenitque vt cum cælestibus ipse flammis inter dicendum haustis summa vocis contentione identidem *ignem, ignem* inclamaret; prętereuntes non pauci vocis, clamorisque indicio ducti, de aquis ad incendium, quo conflagrare Collegium existimabant, inferendis serio deliberarent. Pauci post hæc dies, quos reficiendis corporibus destinarant, pijs colloquijs transacti. Nobile fuit illud, quod Alanus cum Campiano de spe Anglicæ huius expeditionis habuit, quasi iam animo ingentem paruæ sementis messem, martyrijque purpuram Campiano præsagiret. Hoc ego colloquium, quia à multis memoriæ proditum est, neque quicquam egregium continet, prætoribo. illud vnum, quia quam vtiles à sapientibus viris Edmundi labores in Christi fundo excolendo censerentur, declarat, non omittam. Cũ inter cetera Bohemicorum Campiano memoria laborum forte illata esset, gaudere se vehementer aiebat Alanus, aduenisse aliquando tempus, quo vetera Bohemiæ vulnera eadem, quæ intulerat Anglia, sanaret:

VViclephum scilicet hominem Anglum Bohemiam lacerasse significabat; cui curandæ Campianus operam non inutiliter posuisset. Subinde piæ copiolæ pene militariter lustratæ. Inuenta hominum capita apta expeditioni omnino duodecim. Nam Episcopum Asaphensem, & Nicolaũ Mortonum, vtrumque ætate, illum etiam dignitate grauissimos, quos equo vectos, prægressósque iam, Rhemis offenderant; Romam redire placuit. Non animorum, non virium validæ pijs bellis senectæ pœnitebat: sed quia vigilias intentissime, ne noua hæc manus falleret, omnibus Angliæ littoribus dispositas esse, rem in maius etiam, vt fit, fama vulgante, ferebatur; ne nota iam diu vtriusque dignitas & ipsos, & socios hostibus proderet, vehementer metuebant. Post hæc suspicioni longius auertendæ, simul ne sub vnum quasi ictum omnes subijcerentur, diuersa itinera, diuersique in insulam aditus tentandi, alijs alij, sunt attributi. Sheruino duce tres Rhotomagum abire iussi, inde per Neustrios Dieppam peterent, ex eo portu in Angliam soluturi. Ghiblettus, Cranus, Kempus recta Boloniam: alij alio; Campianus, Personius, & Rodulphus Audomaropoli Belgarum opido Caletum: quibus Morinorum locis breuissimus est in Angliam traiectus, concederent.

CA-

CAPVT XX.

Audomaropoli ab Anglicæ expeditionis consilio frustra deterrentur.

HIs ita constitutis, suum quisque iter diuersi post mutuos amplexus aggrediuntur. Cum Personio, ac Rodulpho Campianus Audomaropolim venit. Opidum hoc est in Belgarum finibus passuum non amplius sexdecim millibus Caleto distans. In eo Collegium nostræ Societatis modicum est. Simul eo peruenere; Collegij primarijs Patribus, nonnullisque externis amicis de eorum profectione integram deliberationem visum est instituere. Venere in deliberationem Robertus, & Campianus, magis, vt amicorum studijs aliquid tribuerent, quam vt de vetere consilio Angliæ primo quoque tempore adeundæ quicquam immutarent. Mouerant amicos, graues quæ nunciabantur in Catholicos sacerdotes Anglicarum legum minæ, truculentæ magistratuum voces, sæua edicta. Addebant, intentiore cura portus custodiri: oram ipsam maritimam vniuersam exploratoribus obsessam. Excuti, qui eo appellant nautas, ac vectores ad vnum omnes: apertis, editisque portarum locis Campiani, & Personij transmissas Roma imagines, magistratuum iussu conspici: ne ignota venientium

ſpecies cuſtodes falleret. In eos maxime regium ſenatum exarſiſſe. Vbi ad concilium ventum eſt, pro ſe quiſque, collaudata prius Patrum fortitudine, differendam profectionem ſuadere; obſepta littora, inſeſſos portus, diſpoſitos vigiles, quæque alia deterrendis ab incepto etiam non timidiſſimis memorari poterant, afferre. Ne vulgatæ iam arti veſtitus, habitusque mutandi magnopere fiderent: vtriuſque ora popularis notitiæ facta publico imaginum ſpectaculo. Frenarent proinde præcipites in certũ ſui exitium impetus: qui ſi eorum ſolum capita in diſcrimen adeo apertum vocarent, coërcendi nihilo minus eſſent. Nunc cum tot ſimul ciuium bonum, qui ab ipſis animorum expectant vitam, in eundem caſum trahant: eſſe omni ope ſuccidendos. Cauerent ne ipſam, quæ tantopere quæritur, nimia feſtinatione proderent patriæ ſalutem. Si paulum ſemet ſuſtineant, maturari poſſe in tempore feſſæ Angliæ auxilia, quæ nunc intempeſtiua feſtinatione præcipitentur. neque multum profecto temporis expectandũ. Sinerent modo ſui aduentus extingui famam. Iram regiorum ea crebreſcente, accenſam; eadem concidente, ſubito collapſuram. Ipſam cuſtodum diligentiam primis edictis vigilare; mora conſopiri. Ea vbi remiſerit, poſſe tutius, maioreque ſpe ſucceſſus nauigare. Hæc non perinde dicta, atque ab ijs, pro quorum incolumitate dicebantur, ac-

cepta sunt. Agunt eorum vterque amicis gratias, sed vt appareret, ad sequendum alacriter diuinæ gloriæ vexillum, paratis eos animis ab colloquio discedere. Exinde, remotis arbitris, duo ipsi inter se Personius, & Campianus consilia conferunt. Multis vltro citroque summa cum animi æquitate perpensis, vtrinque diuinam periclitari gloriam intelligebant. Nam & Angliæ adeundæ mora, erectis iam expectatione omnium animis, languorem Catholicis, nimios hostibus spiritus allatura videbatur. Et rursus vtriusque exitium, vel æterna, quæ instabant, antequam operi manum admouerent, vincula, si traijcere festinarent, graue multorum damnum trahere, quibus auxilium fortasse incolumes, liberique fuissent allaturi. Ergo vt his vtrinque incommodis obuiam iretur; inita hæc ratio est. Ex suo numero alter in Angliam, primo quoque tempore, transmitteret. sic, & moras præcidi, & aleam, vnius tantum periculo, subiri. Is si custodias, Deo iuuante, falleret, de tota re alterum, Audomaropoli præstolantem, certiorem per litteras confestim faceret: si vero insidias non effugeret, alteri quid sibi cauendum, sequendumue esset, exemplo foret. Hoc consilium coniunctis animis probatum. Nonnihil certaminis in periculi tentatore designando fuit, vtroque sibi discrimen deposcente. Sed Personius (quippe cui imperium

rium à Generali Præposito in totā expeditionem erat) non pro potestate magis quam æquitate sibi id, quasi duci depoposcit, Campiano neque auctoritati hominis, neque voluntati obsistere auso.

CAPVT XXI.

In Angliam vterque traijcit; Campianus graue periculum improuiso fugit.

QVod bene ergo vertat, Campianum Rodulpho comite Audomaropoli expectare Personius iubet. Ipse habitu militari, vultuque ea qua potuit ope in alienam pene faciem efformato, Audomaropoli Caletum venit. Caleto simulatus miles traijcit in Angliam; ibi Dorobernij portum breui tenuit. Nusquam magis diuinam agnouisse se manum testatus sæpe est. Tantam, vbi littus tetigit patriæ, apud ipsos portus custodes inijt gratiā, vt ausus sit amicum, sociumque, simulato quidem nomine Patritium, & vitæ instituto mercatorem, re vera Campianum, suspectum illum, inuisumque Iesuitam, ijs impense commendare. sperare dicebat se, homini illi amicissimo, breui futurum in insulam reditum. Siquid sibi bene vellent, illi beni-

benigne,amanterque facerent. Litteras insuper iisdem ad Patritium mercatorem dat. Quibus cum aperte rem totam, casusque suos Campiano nunciaret; vtriusque salutem sola hominis confidentia, & vero Dei egregie suos tuentis patrocinium texit. Litteræ cum fide ad Campianum per ipsos hostes Audomaropolim allatæ, alas festinanti adiecere. Aduolat repente Caletum, & numine inuocato, nauim continuo cum Rodulpho suo, quem specie famuli secum trahebat, conscendit. Hic magno cum animi dolore quatriduum commodam nauigandi tempestatem expectauit, non sine Dei nutu, qui Campiani cursum B. Ioanni Baptistæ, veteri eius tutelari, tuendum, ac regendum, vt ego arbitror, tradiderat. Ita enim forte accidit, vt cum primum aptum nauigationi tempus inuenere nautæ, eius Beati viri natalis ageretur dies. Nouus suo cum homulo mercator (ita enim Rodulphum à staturæ modo per iocum appellauit olim Campianus) sacro nascentis Baptistæ die, ad vesperam, conscensa naui, postridie summo mane Dorobernium tenuit. Opidum Angliæ modicum hoc est. Ad fretum quod Galliam, Angliamque intercurrit, recta fronte Caleto obiacet. Portum habet recipiendis nauibus non incommodum, eiusque tutelæ arcem ex impendente saxo, & natura, & manu instructam. Et quia non amplius quadraginta passuum millia à Caleto

eſt, frequentiſſimum habet nauium tranſmiſſum. Incerta adhuc lux erat, cum primum exſcenſionem vectores fecere. Ingens iacebat ſaxum in littore. poſt illud humi ſtratus exquiſitis precibus ſuam illam pro religione expeditionem Deo Campianus offert. Illud in primis oraſſe fertur, vt cuius ſoli calcandi facultatem dederat, eius diuino imperio adijciendi vires ſuppeditaret. Pro patriæ ſalute interim, ac diuina gloria caput ſe ſuum, vitamque, vitæ, mortiſque domino deuouere. Ab his votis comitibus redditus, à portus cuſtodibus de more ſiſtitur opidi præfecto. Et quamquam commendatitiæ Perſonij litteræ aliquid gratiæ attulerant nouo mercatori; tamen quia poſt Perſonij diſceſſum alia ſuper alia à Senatu regio de hoſpitibus explorandis mandata allata erant: propterea quod furtiuus eius viri in Angliam reditus regijs ſuboluerat: tam multa in nouo mercatore notari cœpta; ac proinde tam multa ex illo quæri: vt quamuis prudentibus reſpõſis omnem percontantis aſtum Campianus eluderet; minacibus tamen coniecturis Prætor palam affirmaret, Catholicum eum eſſe: domo religionis cauſa abfuiſſe: eius propagandæ ſtudio redijſſe: nomen, ad fallendum, diſſimulaſſe. Et hactenus quidem magnum incuſſerat, tam ad veritatem facta coniectatio, metum Edmundo. Verum vbi longius progreſſus Prætor, ex noſtris alterum (Campianum

num designabat) Alanum esse deierare cœpit; perduellem scilicet illum, & patriæ iudicatum hostem: tum vero explicata fronte, animoque remissiore Campianus risum non tenere; adeoque constanter, ac pene confidenter, instante acrius Quæsitore, pernegare: vt iurisiurandi religionem interponi, ad fidem faciendam, postularet. Ea constantia pronum Prætoris in eas suspiciones assensum vehementer cohibuit; affirmãtis tamen, crebroque repetentis, vinctum eum ad Senatum transmitti oportere. Iam satellites deducturi conuenerant. instructi qui vinctum cum socio Campianum veherent, equi bini ad ianuam præfecti stabant. Id quod erat, ex signis cum suspicatus primo esset, deinde aperte ex ipsis præfecti ministris intellexisset Edmundus: confestim ad consueta sacræ precationis arma conuertit se. Orat Deum vti ne se sine sudore, ac puluere è certaminis cãpo euocet. Iubeat vnum modò annum in acie pro Christo, ac ciuibus in patria dimicantem stare: exacto anno, neque vincula, neque cruces, aut laniatus quoscumque deprecari. Ceterum si ciuibus suis inertem operam positurus esset; nõ recusare, quin etiam aditus in illum sibi campum præcludatur. Huiusmodi, magno cum animi ardore, fusæ preces, ac B. Ioanni Baptistæ veteri patrono, eiusque priuatim nauigationis auspici, & duci causa omnis commendata. Enimvero

ſuauis in amicos Deus, nuſquam certe Campiano indulgentior, *voluntate labiorum eius non fraudauit eum*. & præſenti periculo mirandum in modum illico eripit, & operæ nauandæ annum ita plenum tribuit, vt non niſi tertiodecimo vertente Anglici ſui laboris menſe, in hoſtium poteſtatem venire permiſerit. Vix tacitas concluſerat Edmundus preces, cum repente mutatus præfectus prodit: aduerſus concilij ſententiam bonum, nobilemque videri virum, neque temere vexandum Campianum pronunciat; proinde ſuæ poteſtatis hominem poſſe quo vellet, liberum abire. Attonitis rei miraculo ceteris, agit præfecto gratias Campianus, quæque parata vinctis auehendis adhuc pro foribus præfecti ſtabant iumenta, maturando itineri liber ipſe conducit. Iis conſcenſis, citatiſque, Graueſendium paucis horis peruenit: (opidum id eſt ad Tameſis Anglicorum fluminum maximi ripam) inde aduerſo flumine ignotæ vectorum immiſtus turbæ, lintre ſubuectus, Londinum ſummo mane tenuit.

*

CAPVT XXII.

Londinum appellit, liberaliterque à Georgio Gilberto accipitur, vbi ex occasione Gilberti laus.

EST Londinum vrbs ingens, non tectis, quam incolis frequentior. Tectorum quippe ad millia quadraginta, incolarum ad millia ducenta numerat. Longo tractu ad ripam Tamesis fluuij aquarum mole memorabilis, porrigitur, duplo in longitudinem, quam in latitudinem explicatior. Hanc sedem Anglorum Reges habuere. hic senatus, de cuius consilio Principes insulam regunt. huc ex toto regno negotiorum gratia ciues confluunt, ac proinde nusquam incertius ab externis Anglis habitatur. Ea omnia infesta hospiti Campiano futura prospexerat, cum primum Londinum venit Personius. nam quamquam inter illos conuenerat, vt apud aliquem, qui in custodia haberetur Catholicum, loci quem habitando delegissent, indicium deponerent, vt inuicem oportuni forent: tamen & ad custodias ire periculosum, & vrbem adeo frequentem incerto, vagoque ambitu circumcursare, nec tutum, & laboriosum erat. Egit itaque cum amicis, quos confestim illi viri nomen, studium pietatis, & ipsa in periculo audendi ali-

quid voluntas conciliarat: vt suo quisque die, præstolando Campiano, ad ripam Tamesis piam obiret quasi stationem. Venientis faciem, habitum, nomen prodit: & nomen quidem ex condicto subinde mutatum; Edmundus erat tum cum Londinum adijt. Seruabant cum fide vices ij, quibus negotium datum erat, etiam absente Personio, (Londino is paucis postquam eo venerat diebus excesserat; quo nobiles aliquot viros ab impietate reuertentes, Ecclesiæ restitueret) Sed neque in hac tanta amicorum fide multum spei reponendum Personius putabat, satis gnarus diuinæ opus prouidentiæ futurum, si Campiani nauigium cum toto, quam late patet, ripæ tractu posset, illo appelleret tamen loco, cui ipse custodes affixisset. præterquam quod & Edmundi nomen, & notæ corporis reliquæ communes multis, solertem etiam, in re præsertim pauida, eludere inspectorem possent. Rem ergo diuinæ curæ potius, quam humanis artibus commissam, diuinus præcipue nutus rexit. Obeunti summo mane suas in eo munere vices nobili adolescenti Thomæ Giaimo cõspecta longe cymba, diuinitus, vt reor, venientis Campiani, nullo indicio, spem fecit. Subibat ille inter cõfertam nautarum, vectorumq; colluuiem, ea tum maxime cura turbidus, quanam ratione hospes, insidijs omnium petitus, in vrbe vasta, ac plerumque hostili, aut Personium,

vestigaret, aut sibi per se omnium egenus consuleret. Interim aduentantem Giaimus quamquam in turba, neque vnquam de facie notum, siue acceptis signis, siue diuina voluntate cognoscit, notatque. Mox ripæ propiorem, dum paratur exscensio, nominatim compellans; Da mihi dexteram Edmunde, inquit. Hæc Edmundo cælestis visa vox, & amicam esse ex ipso apparebat sono: omnes quidem agitatæ mentis sedauit fluctus, Deoque venerando animum, sponte ad cælestia incitatum, impulit. Egressum non minus amice Giaimus excepit, quam antea salutauerat. Eo duce in paratam sibi domum venit. Ibi post nobilium adolescentium, quos aduentus sui præstolatio coniunxerat, salutationes; vestes tum sibi, tum socio, equos, familiam laute, ac liberaliter in speciem honestæ nobilitatis à Georgio Gilberto nobilissimo iuuene accipit. Non committam vt Georgij Gilberti nomen, atque ingentia erga nostros homines, totamque Dei causam merita silentio transeam. Hic prauis ab ineunte ætate opinionibus imbutus Romam honestæ peregrinationis causa venit. Ibi diuina voluntate arcta cum Personio familiaritate coniunctus, hæresim exuit, ac leges recte, casteque in patria viuendi ab eodem accepit. In Angliam reuersus, cum sancte lubricum adolescentiæ flexum decurrisset, ad nuptias animum suæ stirpis vnicus, patrimonij lautissi-

mi hæres adiecerat. Forte quo die de aduentu Personij in insula audiuit, conficiendæ erant de more nuptiarum tabulæ: nuptijs tamen posthabitis conuolat ad Personium, mutuisque colloquijs vehementer incensus, castimoniam suam Deo sancte, cōcepto voto, protinus obstringit. Inde rei Christianæ iuuandæ studio incensus, rebus omnibus ornatum, instructumque Personium, ipse loco pene assectæ honorarij ductabat. Cum vero de Campiani, ac Rodulphi imminente aduentu comperisset; Personium amantissimis precibus adegit, vti nihil ipsum à quoquam, nihil socios quocumque nomine accepturos polliceretur, sibi vni rerum omnium suppeditandarum cura permissa. Liberalibus obligatam verbis fidem factis liberalioribus exoluit. Duplicem initio familiam equis, armisque instructam, vtrique Patrum suo sumptu aluit; & quidem nobilium more virorum eodem cultu insignem. Deinde cum prima illa species ad aduersariorum oculos tutius fallendos deponenda fuit; reliquum omnem vestium, equorumque sumptum in se suscepit: interim à Personij ipse latere nunquam aberat, & præsidio ferme, & sæpe auxilio, voluptati semper, ac solatio futurus. Neque intra Societatis solum homines optimi iuuenis magnificentia stetit: consimili aduersus alios Catholicos liberalitate vsus, rem familiarem præclara cælestis fœnoris spe si non infregit,

certe imminuit. Ergo tanta eius in religionem voluntas fallere hostes religionis neutiquam potuit. in Gilbertum acrius pene quam in Iesuitas exarsere. Certe qui à senatu erant regio, non solertius Personium & Campianum, quam Gilbertum toto regno ad vincula, necemque quæritarunt. Quibus factum est rebus, vt quia inter tot coniuratos diu latere non posse videbatur, in Galliam primo, inde Romam, diuinitus elusis hostium insidijs, amicorũ potius monitu iussisque, quam sua voluntate concesserit. Iam enim ipse vitæ etiam pro Deo prodigus nihil optabat magis, quam dare sanguinem illi, pro quo bona iam, fortunasque profuderat. Romam ergo quas potuit ex ingentis patrimonij naufragio reliquias contulit. distractis enim prædijs quæque reliqua siue eius pietas, siue furor alienus fecerat; collectam pecuniam in pios vsus partim viuens, partim moriens distribuit. Eius inter cetera benignitate, Anglici Collegij templum illustribus Martyrum Anglorum tabulis, vndequaque vestitum hodieque visitur. Romæ tandem cum sancte, integreque paucos vixisset annos, ad cælestem patriam ab exilio euocatus est. Vir plane memorandus; cui non modo liberalitas, sed virtutes etiam pleræque omnes superfuere. Precandi studium noctes etiam intercipiebat, excitatore horologio ad lectulum collocato: quo de media nocte admonitus, duas

ipsas

ipsas in diuinarum rerum contemplatione horas absumeret. Afflictandi corporis cupiditate, perpetuum nudo corpusculo cilicium adpressit, ieiuniorum appetentissimus, pauperum pater, obedientiæ in spiritales patres cultor eximius. Demum virtutum gloria etiam magistros anteiuit.

CAPVT XXIII.

Campianum Londini nimia Catholicorum studia diu subsistere non permittunt; quæque ibi gesta, traduntur aceruatim.

LOndinum vix attigerat Campianus, cum eum iuuenum insignis excipit globus. Claritudini generis, ætatisque flori ardens religionis iuuandæ cupido adiuncta, manum splendidam, eoque validiorem promouendis, quam tegendis cœptis fecerat. Ceterum initia splendor ille iuuit, qui ne progressum proderet non multo post à Personio sapienter amputatus est, vt infra exponam. Absente Personio, & alia omnia cogitante, facta inter claros adolescentes voluntaria excipiendo, celebrandoque Campiano coitio. Et quia de victu, cultuque hominis nullũ relinquebat deliberandi locum prægressa iam Gilberti li-

beralitas, de sacrorum domicilio capta consilia. Statutæ sacrificijs, sacris conuentibus, concionibus, amplissimæ Baronis Norel à Barone Pagetto conductæ ædes. Eæ ad campum fabrum (platea est Londini) prospectu magnifico visuntur. Hic aram, aræque cultum omnem, vel à nostris importatum, vel antea conquisitum parant: tributisque in orbem pro cuiusque studio, atque facultate muneribus, alij sacrorum custodes, alij ianitores, alij monitores, quibus ciendi reliquos ius esset, creati. In his erant, qui agmen ducebat, Gilbertus noster, Philippus & Carolus Bassetti, Gulielmus & Richardus Griffidi fratres, Henricus Vauxius Barone Vauxio natus, Gulielmus Treslamius, Arturus Cresuellius, Godofredus Fulgiamius, Carolus Tilneus, Geruasius Perpointus, Stephanus Brincleus, Iacobus Hillus, Eduardi duo Fitztonus & Abintonus, tres Thomæ Salisburius, Fitzerbertus, & Poundus, Hieronymus Bellomeus, Richardus Stanhurstius, Gulielmus Bruchesbeus: quibus, quod mirere, additus ex intima Reginæ familia Carolus Arundelius. Ex ijs quippe erat, qui regij corporis obsequijs addicti è regio cubiculo more aulæ Anglicæ appellantur. Iuuenes eo etiam memorandi, quod vel mortis, vel vitæ genere ad vnum omnes clari; alij in bona Reginæ Scotorum causa dedere sanguinem, alij, laboribus, carceribus, exilijs attriti, vel clau-

ſere ſanċte, vel retinent integre, caſteque vitam, in exilio exteris, in patria ciuibus exemplo: nonnulli etiam in Societatem IESV adſciti ſpiritale, vt Bern. loquitur, martyrium ceteris vitæ meritis addidere; inter quos Creſuellius, Richardus Griffidus, Poundus, & Fitzerbertus. Hac fretus audentium manu, ardens ipſe quoque in cauſam animo Campianus quarto poſt quam venerat, hoc eſt ipſo Sanctis Petro & Paulo dicato die, in Pagettanis ædibus operatur, auditiſq; pridie peccatorũ confeſſionibus, complures ſacro Chriſti corpore inter lacrymas ſuauiſſimæ voluptatis impertit. Miniſtrabant nobiles iuuenes, rerumque omnium momenta ita ſedulo obſeruabant, vt vixiſſe in ſacrorum cura diceres. Sub ſacrum habita prima concio de religionis Catholicæ firmitate in illa Chriſti verba: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Auditus eſt ſumma omnium attentione, lacrymis vero profuſiſſimis eo loco, quo tempeſtates; quibus Eccleſiæ petra adeo frequenter verberata eſt, diuina eloquentia explicauit: tandem ad perſuadendam fatendæ religionis, ac fidei conſtantem libertatem, totum ſacræ orationis pondus incubuit. Adeoque primo hoc eloquentiæ minime inertis, ac languidæ exemplo probatus eſt; vt iam concurſus ad eum audiendum (& perorabat quotidie) pene publici fierent. Manauit ad ſenatores tanti conuentus rumor, immiſſique

dela-

delatores, qui Catholicum nomen fraudi prætexentes, concioni piorum immixti, locum, oratorem, auditores notarent, proderentque; irrito conatu. Nam prouidi insidiarum nobiles adolescentes, queis admittendi in conuentum cura, non cuiuis temere aditum præbendo, dolos elusere: eo facilius, quo aduersus eorum nobilitatem, auctoritatemque timidior erat, ac cautior insidiantium versutia. Dum hæc aguntur, ingensque hominum numerus Deo, & Ecclesiæ cōciliatur; dum peccata confluentium vsque ad audientis lassitudinem excipiuntur; regreditur Londinum, re pro religione bene gesta, Personius. Ægre quis credat, quātam vterque mutuo aspectu, congressuque; rerum gestarum, ac periculorum narratione ceperit voluptatem. Ceterum eam amicorum diligentia perbreuem effecit. Hi Personio tantam rerum nostrarum celebritatem, quantā vnius Edmundi virtus fecerat, periculi plenam esse demonstrant. Commota ciuitate, iam aures senatorum in famam publicati pene conuentus incurrisse. Proinde tutius esse iuuenum ardorem comprimi, ne incendium conflet regij furoris. Diuturnitatem operi non nisi fallendis auribus, oculisque hostium conciliari. nam quæ impetuntur, exponere, perdere est. Egit amicis grates Personius; consiliumque vtilius, quam gloriosius sequendum ratus, indicit Campiano profectionem.

Dum

Dum enim ille Londini maneat, neque ipsius, neque ciuium vndique concurrentium ardori moderari se posse satis videbat, tanto vtrinque ad salutem promouendam studio ferebantur.

CAPVT XXIV.

Concilium Catholicorum sacerdotum Londini cogunt.

SEd antequam Londino excederet Campianus, cogi Catholicorum sacerdotum ad res non paucas componendas, conuentum placuit. Vetus erat in Anglia iam inde vsque à susceptis Christianis sacris consuetudo, vti vel ieiunio, vel concessis tantum ieiunio cibis dies non pauci, præter Romanæ vrbis, aliarumque Christianarum ciuitatum morem, transigerentur. In his erant beatæ Virginis peruigilia omnia, sexta quæque feria, sollemnium Rogationum triduum. neque deerant prouinciæ, quæ quartam etiam feriam liberis cibis ademptam ieiunio seponerent. Horum multa in Angliam ab ipso eius insulæ Apostolo, Augustino, Gregorij Magni auctoritate, inuecta: qui cum facile animo prospiceret, pronos fore ad omnem recentis religionis cultum animos tum primum religione tactos, consulenti de ieiuniorum

rum ritu, alijsque huiusmodi Augustino ita respondit, vt iuberet, quæcumque tanto terrarum tractu, quantus ab Vrbe in Angliam excurrit, inuenisset apud Christianas quascumque gentes religionis siue argumenta, siue incitamenta, in nouum illum Christi populum induceret. Hæc vetustate temporum moribus inolita, pijs etiam legibus regnante Maria, ex decreto Synodi stabilita erant. Iis legibus teneri omnes qui Angliam incolerent, Mariæ superstites ex vetere clero sacerdotes arbitrabantur, neque temere passuros apparebat; si quis conuellere iam constituta vellet. At qui recentes Roma, alijsque locis in patriam, sacerdotio ipsi quoque iam initiati remigrarant, haustis peregrinis institutis, quibus liberior est ciborum vsus, patrios ieiuniorum ritus aspernabantur. Hinc paruis initijs orta dissensio, disceptatione, mutuaque vrgentium, ac refellentium contentione, aucta paulatim, vti fit, eo creuerat; vt iam ingens aliquod dissidium parturiret. Hæc prima cogendi conuentus causa. Nec deerant aliæ. Destinanda in primis erant in suas quæque prouincias, quæ tanto iam numero venerant, subsidia sacerdotum. Etenim liberam permitti cuique, vagamque excursationem, inutile: vnius vero alicuius voluntate fines præscribi, durius; propterea quod nulli tunc legitimum erat in sacerdotes toto regno imperium. Statuendum præterea

 de

de hæreticorum conuentibus, templisque nō adeundis. Quod tametsi vsu receptum inter probe Catholicos seruabatur: quia tamen ambigui iuris non nemini visum erat, coniunctis sacerdotum studijs placuit constitui. His publicis causis priuata quædam accesserat non leuis. Thomas Cottamus domo Anglus, Societatem IESV Romæ secutus, anteq̄ tirocinium expleret, in patriam valetudinis causa remissus est. Vix Dorobernij portum attigerat, cum ab regijs inspectoribus cōprehensus, nobili viro Londinum profecturo traditur in custodiā, Baroni Cobbamo, oræ maritimæ præsidi sistendus. Custos liberum Thomā in itinere dimittit, quod Catholicus ipse Catholicum sacerdotem in discrimen vocare nefas ducebat. Ea re cum periculum carceris custos ipse subiret, nisi fidei suæ creditum Thomam sisteret; quæri cœptum inter Patres, quorum in potestate futurum se Thomas dixerat; an ad auertendam custodis sui calamitatem ex officio Cottami esset, sponte se iudicibus, aut senatui offerre. Et poterant ipsi per se Campianus, & Personius rem absoluere: sed in re tanti momenti etiam collegarum sententias exquiri tutius visum. Cogitur ergo ad vlteriorem Tamesis ripam sub exiguo, vt facilius laterent, tecto concilium, magna omnium voluptate, tantum Catholicorum sacerdotum confluxisse non sine suauissimo voluptatis sensu gratulantium. Re-

latum

latum est ordine. primo de refellendis hostium calumnijs, quibus iam vulgo persuasum erat nostros homines seditionum ciendarum causa in Angliam conuolasse. Externorum Principum consilijs adhibitos, miscere Rempublicam; exterorum imperio animos populariũ præparare. Malo huic promptum à veritate remedium allatum: Recitata palam in conuentu monita, quæ ab Euerardo Patribus Romæ data supra collocauimus. testes tam seueri imperij, qui aderant omnes adhibiti, cui nostri homines si non parerent, vanum scilicet Religiosi nomen circumferrent. Deliberatum inde de ieiunijs, in eumque modum constitutum, vti quo primum tempore sacerdos regni quamlibet prouinciam attigisset, diligenter de prouinciæ moribus ciues percontaretur, eos sequeretur ipse, neque quicquam noui moris inueheret, neu veteris aliquid aboleret. Ita consultum offensioni popularium, & veterum sacerdotum studijs satisfactum. Neque difficilis fuit de vitandis hæreticorum templis deliberatio. Nullius vacillante sententia, mos ab eorum conuentibus abhorrendi collaudatus, iussúsque retineri. Sacerdotibus prouinciæ summa consensione distributæ; paratis iam bonis Christi militibus, alienam potius, quam suam in ea expeditione sequi voluntatem. Difficiliorem paulo Cottami causa quæstionem habuit; exitum huiusmodi, vti forti,

con-

constantique animo alienam calamitatem sua causa amico impendentem, suo ipse capite exciperet: quod & factum est.

CAPVT XXV.

Nescientis Campiani periculum diuinitus discussum.

DVm hæc in sacro pij homines consessu agitant, periculum ingens alibi nec opinantibus ab insigni proditore Sleddo, dum minori prædæ inhiat, conflatum est. Robertus Ionsonus vir fuit honesto loco, religione Catholicus. Hic sacri conuentus conscius, eo properabat: tam lætum Catholicis spectaculum, quia animo præceperat, oculis subiecturus. Euntem Sleddus conspicatur, notumque de facie, ac moribus destinat ad necem. Sunt Londini publica auctoritate vicorum magistri, ac viarum, oportunis subinde locis constituti: quibus arcendorum maleficiorum ius est. Conestabiles ipsi vocant. Ad horum vnum, qui primus oblatus est, defert Sleddus indicium. Et quamquam is tum maxime opificio intentus, animoque Catholicus, multa recusando muneri prætexeret: minis tamen delatoris, qui eius nomen ad iudices pro parum diligenti opera deposcebat, fractus; arrepto ferro, demonstrari

ſtrari ſibi Catholicum, quem deferat, iubet. Intento in illum digito, diſceſſum delator parabat; ſed Coneſtabilis quamuis reluctantem, ſecum poſt Robertum traxit: ſpecie quidem, vt ſibi Catholicum illum non agnoſcenti, pro indice eſſet; ſimulque ſi falſum indicium afferretur ne ipſe alieni erroris fieret reus: reuera, vt delatorem ludibrio, infamiæque obiectum, ab eo deinceps ſcelere deterreret. Iam ad ripam Tameſis lintrem, quo tranſueheretur, Robertus periculi ſecurus cõducebat. Idem fieri à Coneſtabile volebat Sleddus, ſuſpicatus id quod res erat, quo loco Robertus tandem conſediſſet, facile vberiorem prædam offenſuros. Sed Coneſtabilis ſiue moræ impatientia, ſiue delatoris redarguendi ſtudio, infinitum eſſe reſpondit, fugientem hominem nauigio perſequi; & fortaſſe illum periculo comperto non antea appulſurum, quam tenebris, ac nocte defenſus, diligentiam inſequentium eluſiſſet. Clamore itaque iam iamque conſcendentem inhibet. Mox iniecta etiam manu trahit ad tribunal. Inde Robertus in carcerem detruſus, multis pro Chriſto toleratis ærumnis, clarum inter Confeſſores nomen eſt. Neque minimum inſidijs in poſterum cauendis callidum Coneſtabilis conſilium valuit. Notatus exin delator Sleddus, proculque cum multorum bono à noſtris habitus, qui ſi fefelliſſet, admitti non niſi cum pernicie poterat. Res per tumul-

tumultum, concursumque popularem gesta confestim ad consultantes Patres allata, neq; integre, neque satis explorato, timorem ingentem fecit, conuentumque vt in re trepida protinus dissoluit. Quamquam rebus, quas in deliberationem adduxerant, iam confectis, maturum sua sponte mittendo concilio tempus alioqui erat.

CAPVT XXVI.

Discedit Londino Campianus, regiosque Senatores de sui consilij ratione per litteras monet.

AB hoc pauore collectis paulo post animis, discessus Campiani maturatus. Et quia ne ipse quidem Personius, nisi Senatorum deferbuisset ira, satis tuto Londini erat; simul ingens excursationis per prouincias proponebatur merces, parata scilicet sitientium populorum salus: Personius quoque de suorum sententia Londino abire constituit. Medio ferme Iulio intendentibus se tenebris, vterque ex vrbe egressi Ogsdonij ea nocte substitere. Summo mane iam iamque inde discessuris Thomas Poundus ab Lódino superuenit, grauemque de rerum præsentium statu orationem exorsus, demonstrat, nihil se tota ea nocte capere quietis po-

fuisse: Obuersatum videlicet, quod Patres periculum non modo capitis, verum etiam famæ subirent, somnum discussisse. Enimvero nimium iam popularem hostili dolo vocem factam, Iesuitas Reipublicæ miscendæ gratia aduentasse. Quid ergo, si, quod fieri poterat, ex improuiso alter, amboue aduerso rumore grassante capti, ad necem indicta causa protrahantur? Nimirum veritatem oppressam, non modo ipsis infamiæ, sed etiam Catholicis offensioni futuram. Proinde illorum alter, scripto suum, suorumque Antistitum ea expeditione consilium litteris commendarent, vt testimonium olim in re improuisa aduersus subita mendacia ipsis tacentibus redderetur. Placuit amicum consilium: confestim arrepto stylo Campianus de sua in Angliam profectione epistolam ad regios Consiliarios, materna exarauit lingua: eam latine cum fide potius quam elegantia ab incerto auctore redditam infra posui.

EPISTOLA CAMPIANI ad Consiliarios Regios.

QVandoquidem, viri ornatissimi, è Germania & Bohemia reuocatus non sine ingenti vitæ meæ periculo, in hoc florentissimum Angliæ regnum, dulcissimam patriam meam, tandem aliquando perueni, pro Superiorum

riorum meorum voluntate, Dei gloriam, & animarum salutem promoturus; verisimile esse putaui, me turbulento hoc, suspicioso, ac difficillimo tempore, siue citius, siue aliquanto tardius, in medio cursu abreptum iri. Quapropter ignarus quid de me futurum sit, cum Dei permissu in carceres, & vincula forte detrudendus sim: ad omnem euentum scriptum hoc condidi, quod vt legere, & ex eo caussam meam cognoscere velitis, etiam atque etiam rogo. Fiet enim vt hac re non paruo labore liberemini, dum quod multis ambagibus inquirere vos audio, id totum aperta confessione libere exprimo. Atque vt rem omnem, quo melius & intelligi, & memoria comprehendi queat, compendio tradam; in nouem omnino capita eam dispertiar. Primo profiteor me quãuis indignum, Ecclesiæ Catholicæ sacerdotem, & iam octo abhinc annis magna Dei misericordia in Societatem nominis IESV *cooptatum, peculiare quoddam belli genus sub obedientiæ vexillo suscepisse, ac simul me omni diuitiarum, honorum, & aliorum huiusmodi bonorum spe, & habendi potestate abdicasse. Secundo Generalis Præpositi nostri decreto (quod ego tanquam mandatum cælitus missum; & à Christo ipso sancitum veneror) Praga Romam, vbi Generalis nostri perpetua sedes est: Roma deinde in Angliam contendi: qua animi alacritate etiam in quamcumque aliam orbis terrarum partem, siue ad*

Christianos, siue ad infideles profectus fuissem, si me ad eam profectionem Superiores mei designassent. Tertio. negotium mihi tale est commissum, vt Euangelium gratis prædicem, Sacramenta administrem, rudes in fide instituam, flagitiosos à scelere ad meliorem vitæ rationem traducam, errores conuellam, & vt summatim omnia complectar, pugnæ spiritualis signum tuba canam, atque alacriter aduersus fœda flagitia, & superbam ignorationem, qua innumeri ciues mei, quos intimis animi visceribus complector, oppressi iacent, depugnem. Quarto. nunquam mihi animus fuit, immo & à Patribus qui me miserunt, seuere prohibitum mihi est, vt ne Reipublicæ, ac politicæ huius regni administrationis negotijs me immisceam: nam & aliena hæc sunt à vocationis meæ instituto, & ab ijs animum, cogitationesque meas libenter auoco. Quinto. quamobrem vestra clementia fretus ad gloriam Dei tria non minus æqua, quam ab omni pacis, & trãquillitatis Reipublicæ perturbatione aliena concedi, & permitti mihi humillime postulo. Primum est, vt dominationes vestræ me pro sua, & Reipublicæ dignitate, de religione modeste differentem audire non grauentur. Alterum, quod & cum primis desidero, & maximi momenti esse arbitror, vt mihi liceat in consessu Doctorum, Magistrorum, & vtriusque Academiæ virorum insignium, Sacræ Theologiæ Professorum verba facere. Promitto me Catholicæ Ecclesiæ

fidem

fidem inuictis rationibus, & sacrarum Scripturarum, Conciliorum, Patrum, & historiarum auctoritate, ac denique ex ipsa tum naturali, tum morali Philosophia efficaciter demonstraturum, & defensurum. Tertium, vt audiar ab vtriusque Iuris, siue Canonici, siue Ciuilis peritis, quibus eandem fidei veritatem, legum quæ etiamnum vigent, & dignitatem suam retinent, testimonio, atque auctoritate comprobabo. Sexto. nollem equidem quicquam proferre quod insolentem prouocationem, aut arrogantiam aliquam præ se ferret; cum & mundo mortuus iam sim; & ex animo paratus, promptusque, vt me ad cuiusuis pedes abijciam, ac vestigia etiam exosculer. Tantus tamen animus mihi est, pro gloria & maiestate Regis mei IESV *amplificanda, tanta in eius fauore fiducia, tanta denique in caussæ æquitate, & firmissimorum argumentorum, ac probationum robore confidentia (cum certo sciam nullum Protestantium, nec omnes simul iunctos, nec vllam aduersariorum factionem; quantumvis imperitam multitudinem, & grammaticos quosdam adolescentulos, apud quos insigniter debacchantur, in errorem inducunt; posse dogmata sua disputatione aut tueri, aut probare) vt cum illis omnibus, vel cum eorum quolibet, vel cum antesignanis, ex omni illorum numero delectis, vltro me offeram congressurum; bona fide protestans, eo mihi gratius fore certamen, quo melius instructi accesserint.*


ferint. Septimò. & quoniam Dominus Deus Dominam meam Reginam eximijs naturæ, eruditionis, ac regiæ educationis dotibus exornare voluit; si sua Maiestas huiusmodi auditionem, qualem in quinto articulo, secundo loco efflagitaui, sua regali præsentia, & benigna attentione cohonestare dignaretur; sperarem sane me articulos controuersos optima methodo, & perspicuis argumentis ita illustrare, atque ab omnibus fallaciarum inuolucris, quibus constricti sunt, explicare posse, vt zelo veritatis, & amore quo sua Maiestas populum complectitur, non mediocriter eius animum inclinarem, cum ad plurimas res, quæ regno suo non parum detrimenti adferunt damnandas, & reijciendas, tum ad nos Catholicos misere iam diu oppressos, maiore æquitate prosequendos. Octauo. neque vero dubium est mihi, quin vos, ornatissimi Consiliarij S. M. cum in maximi momenti negotijs præclare, ac sapienter agere soleatis, vbi has de fide controuersias, quas aduersarij nostri non sine fuco, & confuse plerumque pertractant, bona fide detectas, & fuco nudatas perspexeritis; luce meridiana clarius cogituri sitis quam firmis, & solidis fundamentis fides Catholica nitatur, & quod è contrario Protestantium argumenta sint omnino friuola & infirma, quæ temporis iniquitate vim aliquam contra nos habere putantur: futurum spero, vt vestrarum animarum, & innumerabilium aliarum, quæ à vestro nutu, & exemplo pen-

dent, miserti, ab huiusmodi falsorum dogmatum architectis, & doctoribus facies vestras, animumque ipsum auertatis, ac nobis, qui vitam nostrã pro vestra salute alacriter profundere parati sumus, æquiore, & magis propitia mẽte auscultetis. Multæ innocentes manus quotidie, & sine intermissione pro vobis in cælum attolluntur. hæc in vos studia sunt eorum Anglorum, qui in prouincijs transmarinis, nunquam interituræ posteritatis patres, virtuti, & eruditioni acquirendæ dant operam, omninoque secum statuerunt à salute vestra promouenda non prius absistere, quam vel animas vestras Christo lucrifecerint, vel lanceis vestris confixi generose occubuerint. Et quidem quod ad Societatem nostram attinet, velim sciatis; omnes nos qui sumus de Societate IESV *per totum terrarum orbem longe, lateque diffusi (quorum continua successio, & multitudo omnes machinationes vestras Anglicanas facile superabit) sanctum fœdus iniisse, vt cruces quas nobis inijcietis, magno animo feramus, neque vnquam de vestra salute desperemus, quamdiu vel vnus quispiam è nobis supererit, qui Tiburno vestro fruatur, atque supplicijs vestris excarnificari, carceribusque squallere, & consumi possit. Iam pridem inita ratio est, diuinique numinis auspicio inchoatum certamen: nulla vis, nullus impetus aduersariorum superabit. Hac ratione consita, & tradita olim fides est, eadem in pristinam dignitatem reuocari, & restitui debet.*

H 4 Nono,

Nono. quod si hoc scriptum meum quod offero reijciatur, nec beneuoli conatus mei quidquam possint efficere, & pro itinere multorum millium milliarium vestri causa suscepto, ingratum animum experiar: id vnum agendum mihi supererit, vt vos, causamque meam omnipotenti Deo scrutatori cordium commendem; quem quidem ex animo precor vt nobis tantisper gratiam suam impertiri velit, qua ante extremum remunerationis diem in vnam sententiam conspiremus: & vt sic tandem aliquando in cælo, vbi nulla erit iniuriarum memoria, sempiterna amicitia perfruamur.

Huius epistolæ exemplum alterum apud se retinet, vt pro se, sicubi ipse ad vincula aut necem inopinato traheretur, causam diceret: alterum complicatum, obsignatumque an ipsi Poundo, an ex ijs qui in vinculis erant Catholicis alteri ea conditione tradidit, vt occulte interim asseruaretur, ne tumultum suscitaret; publicaretur tum denique ab amicis, cum Patribus vincula iniecta, falsasque vinculorum disseminari causas, auditum esset. Exin diuersi ipsi, in alteram Personius, Campianus in alteram, excolendi regni partem digressi sunt.



CAPVT XXVII.

Res Christiana in prouincijs frustra sæuientibus regijs, feliciter geritur.

Diuersa dehinc nostrorum, regiorumque studia exponam. vtri enim acrius in causam intenderint, ambiguæ æstimationis est. Simulac in prouincias profectos Patres fama vulgauit, exarsit scilicet senatus ira: nihil tot minas, nihil tantam insidiatorum turbam aduersus sacerdotes duos Londino tamdiu pene conclusos, valuisse. simul verebantur ne tanti ad veterem religionem concursus, quantos Campiani, & Personij opera quotidie fieri certis ex nuncijs accipiebant, aliquam male hærenti impietati, & iam pene fatiscenti labem afferrent. Confestim ergo Idibus Iulijs, omnem Iesuitarum nationem, seminariorum alumnos, reliquosque Catholico ritu operantes sacerdotes, quos Missificantes per ludibrium appellabant, edicto minacissimo proscribunt. Edictum ad prouincias, per certos homines transmissum. Additi inuestigandis sacerdotibus, nouum genus hominum regij quæsitores. hi publice: priuatim vero immissi circumquaq; delatores, præmijsque ad eam venationem accensi, sordido omnes loco, fortuna egentes, denique

nique quibus domi mala res, nec spes nisi à scelere melior. Neque semel accensus irarum calor, nocendique cupiditas, longa die remisit. Successibus nostrorum subinde nunciatis, frustrataque suorum diligentia ingrauescere in dies furor. Iterari ad præfectos de nostris supplicijs mandata: inspectores numero augeri: hi nocendi artes intendere, sollertiam acuere. Ergo concussæ per licentiam domus innoxiæ, corrasæ ab insontibus pecuniæ, sæuitum vinculis, alijsque iniurijs in multos vel vere Catholicos, vel ob modestiam similes, creditosque. Nec sanguini temperatũ. præludente iam tum magnis cædibus, quæ ad scelera adolescebat, impietate. Maiestatis siquidem postulatus, damnatusq; typographus Karterus, eo nomine quod Gregorij Martini eruditi viri librum de schismate typis euulgarat. Iactabatur interea, vel temeritate vulgi, vel Principum fraude rumor, captum iam esse Campianum. Vulgus insita leuitate, quod agi videbat, quasi peractum vulgabat, causasque facti pro facto accipiebat. Principes, & innata superbia sarrogantes, & altiore dolo mendaces, conatus suos irritos non videri, tantisper dum fortasse res succederet, cupiebant. Non semel euenit, vt in ipsius Campiani manus litteræ deuenirent, quarum prima verba captum Campianum non sine eius risu nunciarent. Nam illi ipse iam timor timorem omnem excusserat,

cuſlerat, effeceratque vt in omnem caſum præmeditatam fortitudinem,paratamq; conſtantiam, rerum omnium humanarum contemptor egregius afferret. Nihil certe ſibi frequentius obuerſari iam dicebat, quam illud, *Anima mea in manibus meis ſemper*. Hæc aduerſariorum ſtudia. Interim hiſce rerum, ac temporum difficultatibus ardens Campiani caritas obluctata, copioſam Chriſti horreis intulit frugem. Plurimi ab impietate, cui innutriti erant, reuocati ſunt: plerique vacillantes confirmati. Morum tanta integritas vbique conſecuta, vt iam ex ipſis Chriſtianæ vitæ officijs, Catholici internoſcerentur. Palamque cum ijs, ſi quid peccarent, ab hæreticis expoſtulabatur eo nomine, quod ab Catholicis id genus errati minime profectum oportuiſſet. Conſcientiarum difficultates innumerabiles expeditæ. Vno verbo, lux & ſpiritus caliganti, ac moribundæ patriæ allata. Excurſus Campiani ratio hæc erat. equitans meditabatur concionem, quam pro temporis oportunitate haberet. Vbi ad hoſpites diuertiſſet, de Chriſtiani hominis officio, & conſcientiæ quæſtionibus reſpondebat. Mox audiendis confeſſionibus dies, plerumque cum noctibus iungebat: quiete capta, ſummo mane, ſi hæreticis Catholici admiſti apud hoſpites viuerent, antequam illi euigilarent, ſecreto ædiū loco, ſacrum faciebat: Euchariſtiæ Sacramento

mento volentes (volebant autem pene omnes) reficiebat. Denique omnibus ad omnem pietatem, religionisque constantiam ardenti oratione inflammatis, prius inde abripiebat sese, quam hæretici somno pressi, factum persentiscerent. Liberior eius erat, vbi soli degerent Catholici, commoratio. Dabat alterum, tertium, quartumue interdum, importunis piorum precibus diem. Etenim tanta omnium voluptate, siue ex instituto sacræ concionis, siue ex familiaris occasione colloquij, verba faciens audiebatur: tanta tranquillandis conscientijs vtebatur dexteritate; siue dum consulentium quæstiones, siue dum sacras pœnitentium confessiones audiret: vt à nullo hominum, nisi inuito discesserit; neminem, nisi expetitus adierit: nulli præsens fastidio, omnibus desiderio proficiscens fuerit. Ea vero etiam hostium testimonio comprobata (nam ex ijs aliqui ad eius conciones, ad colloquia vero plerique admittebantur) hæreticorum quippe non pauci, quamquam, quæ diceret, studio partium non probabant; dicendi tamen vim, ac suauitatem eloquendi mirabantur. Se si vnquam vlli, certe Campiano daturos fuisse manus: neque ad eximium ingenium, artesque præstantes quicquam præter suam religionem accedere posse affirmabant. Illud vero omnes fatebantur, audito Campiano iam suos sibi Ministros sordere, ac vilescere cœpisse.

CA-

CAPVT XXVIII.

Leges in Catholicos latæ. fortiter ab his gesta, non sine opera Campiani.

HIs artibus vtrinque tota æſtate, autumnoque certatum eſt. Hieme appetente, indicta in conſequentem Martium Reginæ nomine comitia, Londini de more habenda erant. Apparebat affligendis præcipuè Catholicis regni Ordines conuocari. Iam multi nominatim euocabantur, iam ex impotentibus, quæ interdum excidebant, aduerſariorum minis compertum erat, leges de adeundis Caluinianis templis adornari: quibus magnum infortunium non parentibus crearetur. Londinum ergo propius accedere, confirmandis in officio Catholicis, in quos tempeſtas parabatur, neceſſarium Patribus viſum eſt. Conſilio per litteras communicato, ex prouincijs Octobri ineunte redeunt. Londinum Perſonius, Oxobrigium Campianus, quod quindecim à Londino milliaribus opidum eſt. Londino Campianus propter ingentes, qui ad eum aſſidue fiebant hominum concurſus, & ſua, & Perſonij voluntate arcebatur. Oxobrigium Perſonius, Campiani aduentu cognito, propere accurrit, mutuosq; poſt amplexus multa diem rebus

geſtis,

gestis, periculis Dei benignitate propulsatis, vltro citroque exponendis, insumunt. Adsunt ex omni Catholica nobilitate per occasionem comitiorum complures. Integris, liberisque animis religionis, ac pietatis opera renouata. quotidianæ conciones, peccatorũ confessiones assiduæ, diuinum epulum nullo intermissum die, speciem pulcherrimæ libertatis faciebant. Ita ad imminentes pugnas Christi milites armantur crebris colloquijs. sæuas in comitijs ferendas leges inuicem pronunciant: præceptumq; iam ingentibus animis discrimen, Christiano deridiculo excipiunt. Iam exacta hyeme Martius mensis inierat. comitia habentur. auaræ, sæuæque leges multo à Catholicis ante præuisæ sanciuntur. Inter alias hæ fuere. vti omnes qui sextum decimum ætatis annum attigissent, hæreticorum templa adire cogerentur: qui recusarent, vicenis libris, hoc est aureis octogenis, singulorum mensium pertinaciam luerent. quod si qui soluendo non forent; ij in vinculis tamdiu, donec eam conflarent pecuniam, haberentur. Addita etiam alia in Catholicos sæua, contumeliosa in Pontificem, in Deum impia decreta. Constantes Catholicos pœnæ grauitas non mouit, neque magistratuum minæ fortes in Dei causa animos labefactarunt; libro præsertim iam Personij edito, quo cur nefas sibi Catholici ducerent legi obsequi, causæ reddebantur.

Com-

Compacti tamen in carcerem ex præcipua nobilitate recusantes (sic enim Catholicos, propterea quod templa Caluiniana adire non sustinerent , appellare instituerunt) multi : ex inferiore ordine complures tum viri , tum mulieres . Eminebant Comes Sutamptonius, Baro Vuaxius, Baro Pagettus, ex eo nobilium ordine quibus suffragij ius est in comitijs ; & à quibus ob insignia eius ordinis priuilegia vim abstineri fas fuerat. Equites aurati quoque in eandem vocati laudem Thomas Tressamus, Nicolaus Poines, Thomas Fitzherbertus, Ioannes Arondelius : quos eo nominatos volo , quia partim hortatu Campiani antea ad pugnam accensi , partim postea occultis monitis, nuntijsque confirmati in fide, Deo volente, viresque suppeditante mansegrunt . Lætus interea ab Roma nuncius nostrorum animos accendit. In Euerardi demortui locum Claudium Aquauiuam suffectum attulerat; hominem (vt cetera sileantur) Anglicæ expeditioni, vt supra demonstrauimus, fauentem in primis. Nouum honorem illi per litteras gratulati, supplementum exiguarum copiarum petunt. Præsertim cum à Maria Scotiæ Regina aliquis è nostris qui suæ ditionis homines excoleret, postularetur. fœmina omnibus laudibus cumulatissima, etiam ijs à quibus oppugnata, ac prodita fuerat, prospectum ibat : neque vinculis, in quæ contra ius, fasque coniecta

erat,

erat, quin regias ſuſciperet ſuorum curas, prohibebatur. Iuſtis tantæ Hercinæ poſtulatis, nec Perſonius, neque Aquauiua defuerunt. E duobus noſtræ Societatis hominibus, qui in Angliam rogatu Perſonij, iuſſu Claudij miſſi ſunt; alter (Gulielmo Holto nomen fuit) Scotiam prouinciā ingreſſus, operæ pretium fecit. Tandem ab hæreticis cōprehenſus, beneficij pęnas ſanguine luiſset, niſi Regis Iacobi Stuarti Mariæ filij abhorrens à cæde tūc animus ſubueniſſet. Sed nos ad Campianum reuertamur. Catholicis confirmatis, communicatoq́ue cum Perſonio animi ſui ſtatu, atque ab illo acceptis de hiberna prouincia imperijs, ad Lancaſtrenſes proficiſcitur. Subſtitit Catholicorum rogatu Londini Perſonius, quod ibi, tantum ad comitia confluentium Catholicorum hominum numerum, deſtitui non oportere iudicabat.

CAPVT XXIX.

Scripto aureo Decem rationum libello rem Catholicam egregie tuetur.

NOn diſſimiles æſtiuis hiberni labores Campiano, neque alij laborum fuere fructus. itaque ne attingentur quidem. Illud tantum memorabo, quod priſtinis, conſuetisque

tisque additum laboribus, & operosiorem illi prouinciam, & ampliorem Catholico nomini lucem attulit. Is fuit scribendi inter tot curas labor. Cuius & suscipiendi necessariam occasionem, & suscepti fructus saluberrimos paucis exponam. Ingens vtramque Academiam, tum quæ Cantabrigiæ, tum quę Oxonij, litteris, disciplinisque excolitur, cupido incesserat, Campianum, quia coram nō possent, misso ad se libro aliquo loquentem audiendi. Magnum erat apud illos tanti viri nomen, magna in omni doctrinarum genere, tum vetere fama adhuc superstite, tum recentibus hominum sermonibus, conciliata iamdiu opinio. Et quoniam Latinæ linguæ facultatem inesse homini non vulgarem acceperant, latine ab illo scribi aliquid volebant. Egere ea de re cum Personio viri vtriusque Academiæ primarij, facileque impetrarunt. Iussus Campianus doctorum hominum postulatis satisfacere, quærenti scriptionis argumentum Personio, sibi in animo esse respondit scribere, *de hæresi desperata*. Subridenti Personio, ac subijcienti, videret ne rideretur, si homo latebris confisus aduersarios victores, triumphatoresque, ac toto regno imperitantes desperationis arcesseret: At efficiam, inquit, fauente Deo, vt intelligant, istam ipsam vim, ista imperiosa edicta, cruenta isthæc arma, vanamque venditationem, non nisi ex causæ desperatione ortam

esse. Iam argumentum, à Personio digressus, inter quotidianas curas, qua erat ingenij styliqúe præstantia, alacriter expediebat; cum ecce tibi ab amici peccato necessarium argumentum ingestum, præstruxit voluntario. Ille, quem supra memoraui, epistolæ ad senatum à Campiano datæ custos, cognoscendi eius cupiditate victus, resignatam legit ipse; laudatamque, vt fit, apud alium, extorqueri sibi passus est. Hinc late inter Catholicos eius exempla descripta, ac disseminata etiam ad Catholicorum hostes, ipsosque tandem Senatores peruenere. Nihil æque illos offendit, ac certamen hæreticis tanta confidentia oblatum. Dignitati ergo suæ metuentes, primũ in priuatis colloquijs fremere, superbã vnius Iesuitæ audaciam, arrogantiam Romanensis sacerdotis, lucifugæ homuncionis è latebris latratus dicere, aliaque qualia commotus ira animus suppeditat. Inde corrupti verbi Ministratores, frequentibus concionibus, superbæ prouocationis impudentiam in inuidiam vocare; testari se paratos ad certamen, Reginæ iussu prohiberi, cui rebus constitutis nihil mouendum, prudentissime, videatur. Paucos Papistás quietis perturbatores, seditiosorum nutriculas, perduellium antesignanos, per speciem religionis, rerum nouandarum occasiones captare. Additæ his contumeliæ, & conuicia eo acrius, quia non refellebantur. Ciarkus quidam fuit in verbi

Mini-

Miniſtris homo ex illa fæce non vltimus. Hic pro concione Campiani impudentiam, vt interpretabatur ipſe, vexaſſe non ſatis habuit. arrepto ſtylo libellum aduerſus eam Campiani epiſtolam exarauit, non alia re magis, quam linguæ impotentia, ac mendacijs inſignem. Huic confeſtim à Perſonio, qui tum Londini agebat, tanta grauitate reſponſum eſt, vt ægre ferrent Ciarki collegæ tam oportunum tanto vulneri factum eſſe locum. Certior tota de re, miſſo etiam tum Ciarki, tum Perſonij libello factus Campianus, audaciæ impactum ſibi crimen neceſſario eluendum exiſtimauit: quod non aptius fieri poſſe arbitrabatur, quam ſi rationes doctis hominibus redderet, quæ tantos illi, in tam bona cauſa, ſpiritus addiderant. Simul cernebat latum aperiri ſibi poſſe campum ad totius Catholicæ cauſæ maieſtatem demonſtrandam, cum præcipua noſtræ religionis firmamenta attingenda, totiuſque antiquitatis duces excitandi eſſent neceſſario. Suſcepit auide negotium, pauciſque diebus libellum illum edidit, quem *Decem rationes redditas Academicis* inſcripſit. Opus profecto non modo rerum pondere grauiſſimum, ſed etiam dicendi maieſtate auguſtiſſimum: de quo, non ineptum facerem, ſi, quid in omni doctrinarum genere principes viri ſenſerint, memorarem. Sed non committam, vt gratiæ datum, quod tributum eſt veritati, videatur. Illud tantum af-

feram, quod quia ab homine eloquentissimo, & ab omni controuersiarum genere alieno profectum est, prætermitti non oportuit. Is est M. Antonius Muretus vir pius, litterarumque laude omnibus vndique gentibus celebratus. Hic cum libellum hunc assidue tereret, primæ eius pagellæ hoc elogium sua ipse manu, grandioribus litteris notauit: LIBELLVS AVREVS, VERE DIGITO DEI SCRIPTVS. Hoc ego elogium non semel legi, alijsque compluribus legendum dedi: hodieque à volentibus; inter Mureti libros, quos nobis Muretus iunior testamento legauit, in nostra Romani Collegij bibliotheca visitur. Eum homo occupatissimus iam confectum libellum, ad Personium transmisit, nisi ab illo probaretur, nunquam editurus. Mouere Personium adeo frequentia ex omni antiquitate petita testimonia, quæ, vt fit, ad oram libri, notatis veterum scriptorum locis subducta, pene totum libri marginem implerant. Hæc quoniam ab aduersarijs etiam ad fastidium examinanda satis norat, neque otij tantum habebat ipse, vt per se ad librorum, qui subinde, laudabantur, fidem excuteret: monet de re tota per litteras Campianum, rogatque num satis certus sit cum fide auctores, qui laudabantur, afferri. Accepto responso nihil illuc allatum esse nisi plane perspectum, summaque diligentia pertentatum; libri, vna tantum illa re suspecti,

ceteris omnibus admirandi, editionem non modo probauit, ſed imperauit etiam. Quãquam & id ad priorem diligentiam addidit Campianus, vt amicis traditum iuberet diligenter ad fidem teſtium, qui citabantur, explorari. Fuit in his, qui diligentiſſimam operam à Perſonio rogatus, Campiano nauauit, Thomas Fitzherbertus iuuenis nobilitate, ſupra veterem pietatem, inſignis; recentibus eo tempore nuptijs in patria, dein ſacerdotio Romæ, coniuge extincta, exul clarus; demum in Societatem IESV adſcitus Chriſti paupertate, & religioſa humilitate nobiliſſimus. Is & nobilitate, & litterarum ſplendore tutus, ad fontes examinans allata à Campiano loca, Londinenſes bibliothecas omnes excuſſit; tandemque omnia egregie conſtare cum comperiſſet, lætum eius rei nuncium attulit Perſonio, edendi operis etiam exſtimulator.



CAPVT XXX.

Londinum Campianus magno multorum bono reuocatur. Decem eius rationes maximo multorum periculo typis subijciuntur.

LOndinum reuocatus à Personio Campianus, quo sui editionem libelli curaret præsens, Paschalibus ferijs peractis, Personium, veteresque Londinenses amicos reuisit. Iter quò minus celebre concursationibus haberet, effecit Personij imperium securitati consulentis. Satis enim gnarus quantopere quacumque incessisset omnium animos commoueret; iussit eum publicis tantum, toto illo itinere, vti diuersorijs, vitato Catholicorum amicorum diligenter hospitio, & concursu. Londinum vbi attigit, incredibile dictu est, quantum Christi militibus, vel animi, vel voluptatis attulerit. Ipse labore nunquam intermisso, consulentibus respondere, Sacramenta ministrare, conciones quotidianas pluribus locis sæpe habere, concursu hominum tanto, vt pene ipsa celebritate proderetur. Non minor celebritate auditorum vtilitas. Supra omnem fidem est, quam multos ardenti illi eloquentiæ viros, fœminasque

Ecclesia debeat, quos vel vacillantes retinuit, vel lapsos erexit. Animaduertebat id ipse inter primos. quare tanto, inter dicendum, voluptatis castissimæ sensu perfundebatur; vt pene semper manantibus gaudio lacrymis orationem interrumpere cogeretur. Neque vrbem modo, sed etiam suburbia, quotiescumque cælestis lucri spes affulsisset, circumcursabat. Erat Arohilij, qui locus Londino quinque ferme passuum millibus abest, magni, integrique nominis matrona. Ea, quia nostrorum opera, Catholicæ veritatis lucem cum liberis, ac tota familia aspexerat; beneficium grato animo, ingentibusque meritis compensabat. Campianum, ac Personium subinde sacrorum mysteriorum, piorumque colloquiorum auida euocabat. Optimæ fœminæ hospitio libenter illi vtebantur, quod bibliothecam instructissimam in eius ædibus, colligendisque, per crebra spiritus exercitamenta, animi viribus, aptissimum secessum esse, & audierant primo, exin etiam vsu comprobarant. Forte ita res ferebat, vt quæ ad Arohilium ducebat ampla, ac militaris via, cum quingentos Londino passus processisset, in Tiburnum recta incideret, locum sumendis noxiorū supplicijs olim infamem, nunc posteaquam religio inter noxias in Anglia haberi cœpta est, etiam Martyrum sanguine illustrem. Hunc cum locum attingeret ex itinere Campianus, aperto primū ca-

pite, magnum totius inclinatione corporis honorem loco habebat. Mox patibulo succedens, quod in triuio licet fixum, præteriri tamen poterat; eximia pietatis significatione, sub sacrum illud iugum sponte se venerabundus agebat. Miranti factum, causamque interroganti Personio respondebat, id à se non vna de causa fieri. Primo crucem adorari, cuius illud qualecumque patibulum speciem non ignobilem præseferret. Et vero ea erat forma patibuli, vt tribus locis stantes tigni, pertinentibus vndequaque longurijs, illigati, triquetram figuram efficerent. Deinde multorum, nobiliumque martyrum coli memorias, qui tum Henrico Octauo, tum Elisabetha imperantibus, de impietate, eo ipso loco, fuso sanguine triumphassent. Postremo salutari iam tum campum illum, quem suo etiam certamini destinatum animus præsagiret. Inter hæc ingens comparandi librarij preli cura imminebat. Res erat periculi plenissima, si vænalibus operis committeretur: si per alios institueretur, laboris immensi. Tentati primo, quatenus tutum fuit, quorum exposita typographiæ officina, & ars. ij posteaquam periculo, exemplo insuper Karteri territi, minime secunda respondebant: neq; in aliena regna libros transmittere, multis de causis, ferebat animus: vnica conficiendi, quæ destinarant, restabat via, si coëmptis, paratisque plumbeis litterarum formis, to-

toque preli instrumento, per homines notæ fidei, longe ab vrbe res administraretur. Optimum consilium, vti accidit, visum est initio impeditissimum. quem enim formas, apparatumque reliquum diuenditurum? Suspiciosius id chalcographis, quam ipsam impressionem futuram. Quem vero emptorem non suspectum? nam quia ex ijs, qui typographicam facerent empturus erat nemo, quivis alius artis ignarus emptor accessisset, promptum criminationi, ac suspicionibus accessurum. Iam, si reliqua omnia in expedito sint, vnde operarum copia? quas tamen, & exercitatas vsu, & fide integras non temere inueniri. Ad hæc quem tutum rebus omnibus paratis locum fore? stylum exerceri tacentem posse, at prelum ipsa sua agitatione indicium sui facere. Sed nimirum in Dei causa non nihil etiam audendum est. Pecuniam, rei conficiendæ, sponte obtulit, cui ea deliberatio innotuerat, nobilis pietate excellenti vir Stephanus Brinclæus. Inuentus qui, oblato non vulgari pretio, typos vendiderit. nec defuere (fauente cœptis Deo) fidelissimæ operarum Catholicarum manus. Hi partim iuuandæ religionis studio, partim spe mercedis, addita præsertim aliquid audendi, vt est vulgi ingenium, cupiditate; libenter sese operi addixere. Eos vbi Brinclæus, auertendæ suspicionis gratia, in modum nobilis familiæ, eodem instructos corporis cultu, a

pedibus

pedibus, equitans parumper publice circumduxerat, domum reductos, fallaci exutos pompa, vrgendo prelo volentes fatigabat. Recessum opificio aptissimum paterna præbebat Brinclæi villa, quam septem passuum millibus Londino procul sitam Guinstretum dicunt. Sed quæ à ciuium reliquorum sensu rem semouerat secreta villa, ipsi villæ procuratori, homini parum tutæ fidei, pene prodiderat. Quamquam ego miraculo proximam rem duco, id illi ignotum, quamuis in summa omnium vigilantia, esse potuisse. Fuit tamen, maxima cum eorum, qui opus faciebant laude; donec ex pueris vnus Londinum, comparandæ chartæ gratia, profectus, dum cum mercatore transigit, nescio quibus notatus argumentis, captus, atque in vincula coniectus est. Magnum ea res Campiano, reliquisque metum iniecit, ne re prodita conatus vanescerent. Ad arma ergo vsitata ventum. Precibus pene perpetuis fatigatum numen illis inde longius asportandi preli mentem, & puero, etiam tormentis interrogato, constantiam, supprimendæque rei inuictam voluntatem iniecit. Prelum viginti milliaribus Londino submotum, in ædes sanctissimæ iuxta, atque nobilissimæ feminæ Stoneræ, quæ viro iamdiu extincto, tota in cælo, Deoque demerendo erat. Aptissimus locus is visus, quod procul à regia, etiam siluis abditus, claususque esset, rebus tamen, si quid

opus

opus foret, non ineptus conuehendis; quod ad Henleum, opidi id nomen eſt, facilem haberet excurſum, cui iunctus Tameſis nauigationem quaquauerſum liberam præbebat. Hic, liberius currente prelo, Decem Campiani rationes tandem impreſſæ. Hæc dũ fiunt, conſueta caritatis, atque pietatis officia non intermiſit indefeſſus ardor Campiani. Id vt poſſet, Richardi Mauritij maturæ ætatis, virtutisque confirmatæ ſacerdotis induſtria effecit: qui preli negotium, ac procurationem in ſe amanter ſuſceptam, fideliter, ſtrenueque promouit. Huius autem, & aliorum, quos in Chriſti cauſa ſuſceperat, laborum mercedem exilium tulit. Id Rhemis primo, mox Romæ apud Alanum nondum ſacra purpura inſignem ſancte, pieque tolerauit. Extinctusque tandem in Romano Anglorum Collegio, ingens ſui, Catholicis omnibus, deſiderium reliquit.

CAPVT XXXI.

Campiani libellus Oxonij publicatus ingentes animorum excitat motus.

QVia in Academicorum præcipue gratiam, vt ſupra monuimus, latinum exercuerat in ſuo libello ſtylum Campianus; ipſum-

ipſumque ſcriptionis genus eruditum lecto-
rem poſtulabat; iam antea omni ope proui-
ſum erat, vt eius quam plurima exemplaria,
ſcholis Oxonienſibus inferrentur. Fauit con-
ſilio temporis oportunitas. forte enim ita ac-
cidit, vt quo tempore libellus Campiani pre-
lo ſubductus eſt, tantum abeſſet dies Oxo-
nienſis Academiæ conuentibus agendis de-
ſtinata, quantum ad bonum eorum libello-
rum numerum, vtcumque compaginando-
rum, Oxoniumque tranſmittendorum ſatis
eſſet. Vetus eſt Anglicarum Academiarum
inſtitutum, vt litterariæ dignitatis inſignia,
qualia barbaris ſeculis, ne omnino litteræ ia-
cerent, excogitata, nunc pene in ſpeciem va-
ni nominis abiere; non niſi certo tempore in-
ter diſcrimina probandæ eruditionis tradan-
tur. Sepoſitum ad eam pompam ſtatum an-
ni tempus, ne crebris honoribus Muſarum,
vulgatum id quidquid eſt decoris, euileſceret.
Addita amplificandæ litterariæ dignitati ſo-
lertia: vti regni proceres, primoreſque aulæ,
ipſe denique flos nobilitatis tota Anglia, ſum-
ma promouendorum ambitione, ad id ſpe-
ctaculi contrahatur. Duabus Academijs di-
uerſa duo tempora deſtinata, ne altera alteri
officiat. Oxonienſi feria ſecunda, feſto SS. Pe-
tri, ac Pauli proxima: Cantabrigienſi ve-
ro Dominica conſequens obtigere. Neque
vſpiam pulcrius bonæ artes theatrum exhi-
buere olim, quod nunc eadem pompa illu-

ſtre, corruptis doctrinis ceſſit. Ex omnibus regni totius partibus cuiuſuis ætatis, conditionisque mortales confluunt, plerique auditum, ſpectatum multi; quibus etſi eruditæ aures non ſunt, curioſi tamen oculi non deſunt. Neque vlla ſatis eſt tantæ multitudini ædium laxitas. Itaque Oxonij templum Beatæ Mariæ ſacrum, ampliſſimum per ſe, etiam temporarijs pulpitis, duplici ordine in theatri formam, vndequaque conueſtitur. Hic vero ipſe tanta arte amplificatus locus quotidiana celebritate ita feruet, vt ſubſellia aliquot ante horis occupentur. Ibi experimenta doctrinæ à candidatis dantur, & præmia accipiuntur. Neque intermittente vnquam, ſummis etiam caloribus, mortalium concurſu, litteraria celebritas triduum tenet. Huius opportunitate celebritatis vſus Campianus, quos magno numero ſumma celeritate compaginari curauerat libellos, Oxonium per Catholicum ſacerdotem (Harthlæo nomen fuit) tranſmiſit. Hic ſumma diſſimulatione, dum notis, æque ignotiſque omnibus adiungit ſe, libellos plus quadringentis, partim conſcijs, aut paulatim ad curioſæ lectionis cupiditatem adductis in manus dando, partim in theatrum ipſum, quaſi temere proiectos noctu inferendo, Oxonienſem Academiam noua admiratione ſuſpendit. Nam vbi illuxit, mirando ſpectaculo, ſilentium Academicorum toto theatro prorſus inſuetum fuit; omnium

pene

pene oculis furtiuæ lectioni intentis: adeo vt nulla plane frigidior concio, quam quæ tunc coacta est, feratur visa, proceribus rei ignaris, ignauumque silentium admirantibus. Vbi vero soluto conuentu rei causam fama vulgauit, diuersi animorum motus, vt cuique studia partium, vel expers à studijs erat animus, excitati. Pars in Campianum furere: hi erant tum ij, qui hæresim mordicus amplexi, infelici saxo, ad quod naufragio fidei facto appulerant, inhærebant: tum ij, qui cum magistros hæresis agerent, tanto fauore excipi, quæ ipsos pungerent, molestissime ferebant. Pars ridere vanas suorum, quos plerumque contemptui habent, ministrorum aduersus nostros iras, feliciterque elusas artes cum ioco prædicare. Erant hi ex eo hominum genere, qui quasi spectatores otiosi, paratique pugnarum artes, non causas probare, nulli ferme magno negotio non intersunt. Pars, quibus ambiguus religionis animus, mœsto silentio rem secum taciti voluere, vel cum paucis mussitando potius, quam loquendo agitare. Alij, quibus sana cum Catholicis mens, vel aperta simplicitate causam tam constanter defendi suam gaudere: vel obscuro vultu, suspensoque sermone, cœtibus immiscere se, alternisque percontando, audiendoque, & timorem aduersariorum, & suæ causæ laudes furtim sublegere. Omnes denique libelli, cuius laudes breui

cogni-

cognitæ, vulgatæque ſunt, lectionem flagitare: vt vix cuiquam forte, aut conſilio oblatus libellus fuerit; quin diu per multorum manus peregrinaretur. Neque aut captu facile, aut dictu promptum eſt, quantum vnicus hic liber nomen Campiano, quantam Societati laudem, quantum Catholicæ cauſæ robur adiunxerit. Multi mortales eo perlecto, hæreſim exuere. multi viſendi ſcriptoris cupiditate incenſi, quem legendo conceperant, audiendo Campiano peperere ſpiritum ſalutis. ipſi impietatis præcones, & anteſignani tantopere antea in concionibus feroces, obmutuere: nemo certe ex tanto hoſtium numero tam breui ſcripto, quo adeo afflictas ſuas rationes videbant, vel voce, vel ſtylo, per id tempus, contradicere eſt auſus: iras tamen, rabiemque, vti fit, vbi deſperata cauſa vis pugnat, acuebant.

CAPVT XXXII.

Vicino periculo territus Londino Campianum iterum ſubmouet Perſonius.

INter hæc qui libellos diſſeminarat Harthlæus, re bene geſta, lætus ipſe ad gratulantes, gaudentesque Perſonium, & Campianum redierat in ſiluam. Biduum cum ijs, tri-

duum-

duumue intentus consuetis laboribus egerat, cum in familiari forte colloquio narrare aggreditur audisse Oxonij de Rolandi Ginxij noti apud illos viri, vel periculo, vel infortunio. Vehemens Catholicus hic erat, proscissis auribus in pœnam auitæ religionis, vera æstimatione insignis verius, quam deformis. cõpaginandis libris victitabat. Narrabat Harthlæus, infensum Ginxio famulum, quem ad operas conduxerat, illi obiectasse in iurgio, quod Londini secreto in cuiusdam ignoti hominis cubiculo multos consuisset libros, quos Catholicæ religionis, scriptorisque Catholici opus esse multa ostenderent argumenta. sibi rem compertam; quia Rolando iubente operi manus ipse quoque admouerat. His iracunde admodum obiectis minatum esse leges Ginxio, ac iudicia, extemploque post hæc Londinum propero cursu abijsse. Nondum narrandi finem Harthlæus fecerat, cum, qui variante vultu rem audierat Personius, quærit quoto iam die id audisset: quartum agi respondit Harthlæus, simulque cõmotum Personium animaduertens, ecquid ea res ad se, aut Campianum pertineret, quærit vicissim à Personio. Immo, tota pene mea est, subijcit Personius. Nam meum illud cubiculum, in quod famulum istum tam infeliciter Ginxius inuexit, esse scito: meos libellos, quos conglutinatos refers: me ignotum illum hominem, qui operi

præerat.

præerat. neque contatus, Campianum seducit, sibique certissimum esse pronunciat, si vera narret Harthlæus, rerum suarum iacturam, maximo cum vtriusque periculo factam esse. Neque enim dubitandum, quin accepto indicio, senatus occupari cubiculum, explorari omnes eius angulos iusserit. Proinde ad iter paratum esse iubet tantisper, dum quid Londini ageretur, per certum hominem exploraret. Vocat sub hæc hominem Catholicum, quem in famuli speciem trahebat secum. Londinum citatis equis properet: ædes (meritoriæ erant) quæ captæ credebantur, quanta maxima possit dissimulatione prætereat: ibi caute rerum statu explorato, ad se confestim redeat. Rem diligenter ille exequitur: rediens, nunciat præterijsse se primo mœsto silentio horrentem vicum, nisi quod muliebres certis in ædibus ploratus audirentur. Dolore insignem fuisse Personij hospitem. Ab hac cognouisse se superiore nocte Thomam VVilxæum, qui senatui erat ab epistolis, cum centum armatis militibus in cubiculum cuiusdam ignoti hominis, (Personius notabatur, mulieri non nisi de facie notus) primo, mox in vicina ædium irrupisse. E cubiculo Personij omnia exportata: in quibus immanem Pontificiorum piaculorũ vim inuentam: rosaria precatoria, globulos piaculares, cereas agnorum sacrorum effigies. E suo sinu maritum, qui id hominis hospitio

recepiſſet; ex proximis vero ædibus, nobilem iuuenem, quoniam ſacerdotem eſſe iactaretur, abſtraxiſſe. Eas res narranti fœminæ; quia Catholicam eſſe conſtabat, bono eſſe animo iuſſæ, non exiguam pecuniæ ſummam eleëmoſynæ nomine ſe eſſe largitum. His ex nuntio acceptis, ſimul certo cognoſcit eum, qui captus in proximis ædibus noctu dicebatur, Alexandrũ Briantum eſſe, ſacerdotem optimũ; de cuius rebus fortiter tum alias, tũ in ſuprema neceſſitate geſtis, quia ſuus erit narrandi locus, nihil in præſentia attingam. Tam multorum ex conſcijs in vincula coniectorum fama conſilium Perſonij de Campiano in alias longe terras amandando confirmauit. Vix enim fieri poſſe iudicabat, quin ab aliquo tormentis ſubacto, tantopere quæſiti ad necem viri indicium aliquod emanaret. Diem alterum ab accepto eius cladis nuncio, vterque in ſilua commorati, dum ſuas, amicorum, & currentis adhuc preli res componunt. Detinuit præcipue, quod, quaſi vltimum illum mutui congreſſus diem animo præſagirent; peccatorum, generali confeſſione, noxas apud ſe inuicem depoſuere, animumque ad conſtantiam, votorum inſtauratione, ex Societatis inſtituto, muniere. Nuſquam alias, quid admotum propius, etiam conſtanti animo, poſſet periculum, claurius apparuit. Inſomnem noctem, ſollicitosq; dies duxere duos, cum in momenta

ſingu-

ſingula de Brianti eculeo, aliorum quæſtionibus, multa ex falſo, quædam è vero, multorum ſermonibus, ac litteris cognoſcerent. At Campianum, totum illud biduum, ne nocte quidem quieti relicta, continuaſſe propemodum precibus, narrabat mihi, cum hæc ſcriberem, Perſonius: preci exiguum ſubtractum tempus, colloquijs extraxiſſe, quorum argumentum illud vnum erat: Quanam ſe ratione geſturus eſſet, quæ ſua oratio, quæ frons, quis animus futurus, cum in hoſtium manus incidiſſet. Perſonius interim cū multas Campianum ad ſe vocantium ciuitatum litteras non modo priuatorum hominum accepiſſet; re cum ipſo communicata, Norfolciæ prouinciæ hominem deſtinat. Verum quia in Lancaſtria libros eſſe ſuos, ſine quibus agere vix poſſet, aſſeuerabat Campianus; permiſſus eſt eo redire, libros vt inde ſecum in Norfolciam aſportaret. Addit tamen Perſonius vetare ſe ne eo loci moraretur, quo tutior eius foret ad Norfolcienſes digreſſus: illudque in primis ſancte præceptum iterat, quod feliciter Londinum reuertenti ceſſerat, ne ad Catholicorum domicilia, eo in itinere, ſed ad publica hoſpitia, ijſdem, ſed multo nunc acrioribus cauſis diuertat. His confectis, vbi tertia dies illuxit, vterque ſuis cum ſociis, cum Rodulpho Campianus, ſuo cum mercenario Perſonius equis conſcenſis in late patentem, inuiumque campum vna proceſ-

 ſere.

ſere. Hic eadem animorum præſenſione ducti, amplexus lacrymarum pleni mutuos iungunt, atque ad vltimi amoris monumentum galeros mutant, fauſtaque omnia ſibi inuicem precati, Edmundus in Lancaſtriam, in Cantium Perſonius iter arripiunt.

CAPVT XXXIII.

Ad Catholicam familiam ex itinere diuertit, inſolito obedientiæ iure, laico ſocio ſubiectus.

Concitatis in diuerſum equis, non multum viæ vterque proceſſerant, cum repente Perſonius ingenti voce inclamari ſe à tergo audit. Campianus erat, qui eum paulo poſt aſſecutus, orat, ſibi vt eius voluntate liceat in villam Iattæi nobilis viri ex itinere diuertere. Erat hic vir Catholicæ religionis propugnator acer, eaque de cauſa Londinum ductus eo tempore in vincula, ne ſic quidem libertatem piæ mentis amiſerat. Inde cum Cāpiano per litteras accurate egerat, ad ſuos in eam villam Chriſtianis ſacris iuuandos excurrere ne grauaretur. Excuſarat viarū longinquitatem initio Campianus. cumque idipſum ſæpe ille nullis deterritus repulſis flagitaret; per litteras tam longi itineris periculis demonſtratis, vim pij poſtulati declinauerat.

Verum quia ita forte instituendi eo tempore itineris ferebat ratio, vt perstringi pene Iattæanum prædium in Lancastriam proficiscenti necesse esset; nullum excusationi relictum sibi videbat locum, nisi pene de via piam familiã, hospes tantopere expetitus, salutasset. Erant Iattæo peramplæ ruri ædes in arcis morem, ac formam, fossa, muroque munitæ (Lifordianum ego villam hanc appellabo; sic Anglici nominis Liford, flexu exigente) has ipse ædes cum matre vidua, plerumque, totaque familia incolebat. Nimirum Anglica, Gallicaque nobilitas huiusmodi villicatione, vel ad tuendas frugalitate opes, vel ad vitæ securitatem, ac fructum, delectatur. Præcipua aduocandi tanto studio Campiani causa erat, quod nobiles è sacra sanctæ Brigittæ familia virgines, ciues suas octo domi alebat. Hæ cum virginitatem Deo olim in Anglia vouissent; temporum iniquitate cõpulsæ, sub initium regni Elisabethæ in Belgium migrarant. Ibi sacro conuentu iterum coacto, gloriosas exules egere. Sed neque exilium bonis puellis magis quam patria quietum fuit. A Belgis aduersus Regem, religionemq; rebellantibus pulsæ, inopes consilij, in patriam omni exilio infestiorem remigrare coactæ sunt. Reginæ iussu varias in custodias datæ magnas subiere molestias; dum conspirantes viri nobiles, quibus religionis, & humanitatis amor aliquis; sibi

earum custodiam flagitarunt. Assensit postulatis Regina; alijsque alias, Iattæo ex omni numero octonas attribuit. Has ipse summa reuerentia habitas, plures annos domi aluerat. Neque quicquam sacris virginibus, quod ad veram monasterij formam spectat, desiderari passus, partem ædium sepositam earum vsibus apte composuit. inibi odæum, aram inibi, sacrorumq; apparatum omnem illis exhibuit. Iuuit filij pietatem mater grandi natu matrona, quæ extincto iam diu viro, castimonia viduitatem, atque institutione familiæ probarat. Hæc iam maturæ ætatis filio res domesticas procurante, totam se in conuictum suarum monialium tradiderat, cura mater, officio magistra, ceremonijs sacri instituti discipula. Earum, suisque votis implendis Iattæus sacerdotes duos domi occulto nomine, atque officio alebat. Has omnes virgines, matremq; ingens audiēdi Campiani, quem tantopere fama prædicabat, cupido incesserat. Simul apud illius aures peccatorum onus deponere; ab illo Eucharistiam suscipere summopere auebant. Atque, vti sunt flagrantes muliebris ingenij, in bona præsertim, speciosaque causa cupiditates: Iattæum sua sponte Campiani cupidissimum; vt ad suos pertinacissime inuitaret, omni ope, atque arte perpulerant. Hæc omnia Personio Campianus, quamquam iam antea illi notissima, vt in Lifordianum diuertendi facul-

cultatem impetraret, oſtendit. At Perſonius qui nimios proni in omne ſpiritale lucrum Campiani ſpiritus moderandos cautius rebatur: cauſam enimuero Iattæanos adeundi probare vehementer ſe reſpondet, rem ipſam probare non poſſe. Nam ingens periculum domo celebri adiri, concurſus ſine dubio ad nomen Campiani futuros, qui & periculoſi ipſi, & Norfolcienſi expeditioni plane exitiabiles forent. Noſſe ſe facilitatem eius, ingenijque nihil cuiuſquam poſtulatis obnitentis mollitudinem. noſſe Iattæorum, totiuſque illius familiæ ardens in noſtrum nomen, cauſamque ſtudium. Si ſemel Campianum ad ſeſe pertraxiſſent, abeundi nullum exitum relicturos. Hic interfatus Perſonium Campianus promittit ſe, ſi facultas adeundi Iattæos fiat, moræ modum ex eius nutu contracturum, producturumue. At quem, inquit Perſonius, fidei vadem dabis? Rodulphum hunc noſtrum, inquit Campianus. aderat, remque totam audiebat Rodulphus Campiani comes. Bene vero habet, ſubijcit Perſonius. ego te Rodulphe Campiano in hac expeditione præficio, vices tibi meas committo. Tu Rodulpho, Campiane, obſequium perinde, ac mihi debebis. Tum vtroq; audiente, nolle ſe ait vt plus vno die, vnaue nocte horis additis antemeridianis ſequentibus, quibus ſacris operari, Sacramenta miniſtrare, conciunculam habere poſſit, eo loco ſub-

ſiſtat Edmundus. Tu igitur Rodulphe, ad eum conuerſus, cauebis diligenter, inquit, ne præſcripto diutius illum apud Iattæos detineri patiaris. Hæc vbi imperia promptis vtriuſque animis accepta videt, repetitis poſtremæ ſalutationis officijs, iterum digrediuntur. Lætus inde Campianus, multo magis oblata humilitatis Chriſtianæ materia, quod comiti homini laico parendum foret, quam impetrata alios iuuandi, cuius tamen erat cupidiſſimus, facultate; breui ad Iattæos venit. Dictu facile non eſt quanta omnium gratulatione, quibus venerationis ſummæ argumentis, quibus collacrymantium ad eius conſpectum omniũ gaudijs exceptus ſit. eminebant in reliquis ſacræ virgines in omnem modeſtiſſimæ lætitiæ ſignificationem effuſæ. flexo ad ingreſſum Campiani omnes genu, manantibus lacrymis, ſacræ manus oſculum petiere; neque quamuis obſecrante Campiano, niſi poſteaquam ducto ſalutari ſigno, bene precatus illis eſt omnibus, ſurrexere. Inter primos ſtatim occurſus, neceſsitatem alio feſtinandi demonſtrat Cãpianus. Quod quamquam turbare recentem lætitiam viſum eſt; tamen cum à conſtanti, immotaque in eo conſilio mente profectum ſatis appareret; effecit vt omnes illico eluendis animi per confeſſionem maculis pararent ſe. Quod ea nocte vbi diligenter effectum eſt; ad matutinum ſacrum familia vniuerſa, vtroque pabulo,

& verbi, & Euchariſtiæ, ore, manuque Campiani recreati ſunt. Neque diutius quam ſumpto prandio, vti fuerat imperatum, religioſiſſimus obedientiæ cultor ſubſtitit. A prandio inter mœſtæ ſuo diſceſſu domus ſupplicationes, ac lacrymas, ipſe quoque animo commotior aliquanto abijt.

CAPVT XXXIV.

Socij imperio ad Iattæos redire compellitur, vnde iter ad martyrium diuina illi prouidentia aperit.

POſtridie eius diei nobiles aliquot Catholici matronas ſalutatum, ac virgines forte ad Lifordianum conuenere. In primis congreſſibus cum mœſtum ex familiæ vultu deſiderium emineret, quidnam illud rei ſit quærunt. audiunt pridie ad eos diuertiſſe Cãpianum, ſed adeo feſtinanter abijſſe, vt vix plane conſpectum dicas. Quamquam ſacris ille operatus, concionatus plane diuinitus, Sacramentis vniuerſam rite familiam procuraſſet. Iamdiu tantum virum audiendi, alloquendique occaſionem, nobiles illi hoſpites vndique captauerant, eo vehementius pene præſentem è manibus effugiſſe angebantur.

Itaque

Itaque de illo ex itinere reuocando extemplo deliberant. monent qui aderant superuacaneum esse deliberandi laborem; adeo fixum in discessionis consilio hominẽ visum. Quin imperia, obligatamque obedientiæ fidem, ab illo obtendi: quod si verum sit, conatus frustra futuros. Nihil illi hac denunciatione territi, communi nomine sacerdotem ex ijs qui domi alebantur, alterum, ad Campianum citato equo mittunt, cum mandatis omnem vt aditum ad rem conficiendam tentet, omnes vires, omnia consilia intendat. Non multis opus fuit. Ille sua sponte Campiano addictissimus vorauit iter, eodemque die iam occidente, Campianum in publico hospitio considentem assequitur. Aderat circa hospitem, Catholicorũ è primoribus manus splendida, & (quod Oxonium prope aberat) multi Oxonienses Academici, aliquot etiam ex ijs, quos à decursis philosophiæ spatijs artium magistros appellant. latere scilicet non poterat, quamquam fugitans publici, & lucis, Campiani aduentus, auidos, & occasionem videndi, alloquendique iam diu præstolantes. Erat inter hos, sacerdos alter ex eadem Iattæi familia, qui honoris, animique causa discedentem ex Lifordiano Campianum, eo vsque deduxerat. cum hoc primum mandata communicat nuncius; ille cum amicis alijs, paulatimque ad omnes postulatorum fama peruenit. Et hi quidem iam antea omni ope,

exquiſitiſque precibus à Campiano contenderant, vt de diuinis rebus eo loco concionem haberet, ac reliqua Catholicæ myſteria religionis obiret: ſed abnuerat omne ille publici muneris officium conſtanter, cum loci, tum temporis anguſtias, iniquitateſque cauſatus. Cum ergo plane perſpicerent ſi reditum perſuaſiſſent, ſe per otium in eo villæ ſeceſſu toto Campiano fruituros: vno omnes animo ad reditum ſuadendum, indicta tamen eius conſilij omnibus diſſimulatione, conſpirant. Ab hac conſpiratione Campianum ille qui è Lifordiano venerat, ſacerdos adit: poſtulata exponit. Dum obſtinato ad negandum animo, preces, obſecrationeſque multa addentis nuncij, magnaque etiam vocis, & corporis totius contentione agentis, modeſte repellit: quaſi ad rem nouam audiendam vnus, alterque, tum paulatim omnes confluxere. Poſteaquam neque Campianus negandi, neque obtendendi alter finem faciebant; vna omnes voce obteſtari, ne votis tot piorum hominum repugnaret. Deum fortaſſe boni aliquid illo reditu moliri. Vbi ſe ab omnibus deſertum videt Campianus, ingenue rem, vt erat, aperit: imperium Perſonij palam exponit. Tum vero quaſi rei caput nacti, redordiri rem omnem aggrediuntur. Non omne imperium litteris, ac ſyllabarum numero metiendum. Eſſe etiam imperantis menti introſpiciendæ locum. Nun-

quam Personio tantas nobilium diuino nutu coactorum preces, neque vero tantum numerum prouisum. Certe qui pauculis virginibus, matronisque diem vnicum indulserat, tot insignibus viris, tantæque multitudini sitientissimas aures afferenti, alterum, tertiumue diem nunquam fuisse negaturum: neque enim longam se morâ quærere. Quintam esse, quæ tunc ageretur, feriam. Sexta relegendo itineri detur. sabbathum in Lifordiano, partemque Dominici diei pijs operibus insumi posse. Liberam post hæc abeundi quo vellet, potestatem futuram. Erat, vt ante monui, ingenij facillimi Campianus. Tunc vero etiam tot orantium vocibus permotus vix lacrimas continuit. Obedientiæ tamen retinentissimus, ad postremum effugium deuenit. fatetur ingenue se in Rodulphi potestate esse; si ille permittat, nullam in se moram fore. Risere primo quasi ineptam fugam oratores; sed re, vti erat, intellecta, ad oppugnandum Rodulphum conferunt se. Minime laboriosa ea oppugnatio fuit. quamquam enim primis postulatis Rodulphus satis ferox: vbi tamen rationibus certari cœptum est; breui homo simplex succubit. Quin, & illud antiquæ probitatis viro persuasere; cōpendium se facturos, tum vtrique temporis, tum Campiano viæ. Cui enim dubium esse, quin multos in Lancastrijs dies absumere necessarium vtrique foret, vbi ad notum Ed-

mundi

mundi Campiani nomen veterum concursus amicorum fieri cœpissent? Quæ porro inhumanitas more cursorum tantū virum, eundo, redeundoque tam longis itineribus fatigare? At si Campiano apud Iattæum præstolante vnus ipse ad libros è Lancastria recipiendos proficisceretur, moræ nexus abrumpi facile. quod vnum Personius, cum mandata celeritatis dederat, spectasset. Inde itinere breuissimo ipse ad certi cuiusdam, quem designabant, nobilis viri ædes, quæ in Norfolciensium sunt finibus, pergeret; eodem enim Campianum, obitis die Dominico, alteroue fortasse sacrorum officijs, vitata tanta itinerum vexatione, profecturum: qui prior venisset, socium operiretur. His victus Rodulphus Campiano reditum imperat, ipse ad Lancastrios citato cursu proficiscitur. Sic lætis omnibus, in speciem triumphi, ad Lifordianum, vnde venerat, reuertit Edmundus, diuini consilij, ex insperato iam tum martyrij purpuram illi ordientis, ignarus.

*

CA-

CAPVT XXXV.

Georgius Eliottus Londino in prouincias, ad martyres vestigandos, suorum furijs scelerum agitatus, proficiscitur. Deq; eius moribus, ac scelere.

INeluctabilem fati vim, vbi quid aduersus firma contra nitentium consilia, per magnas difficultates, insperato exitu perrupisset; celebrare soliti sunt veteres scriptores. Neque ego sane hoc loco huiusmodi commemoratione abstinerem, nisi me fati nomen in diuinæ nutum prouidentiæ referre lux humana maior docuisset. Enimuero dum mecum ipse reputo nihil prius Personij coniectura prouisum; nihil accuratius, quantum humano consilio effici potuit, auersum, quam longioris ex itinere moræ apud Catholicos periculum; nihil seuerius, etiam vsque ad insoliti, & præposteri imperij formam Campiano, quam Lifordianam commorationem interdictum: nullum denique iter maioribus obseptum difficultatibus, nullum ab inuito magis, ac repugnante Campiano susceptum, quam quo ad vincula, necemque properabat: non possum non rem totam in admirabilem diuinæ sapientiæ, vt suauiter, ita &

fortiter

fortiter omnia disponentis; vim referre. Hæc temporum momenta omnia, humanarum cursus actionum, ac flexus cum in sua habeat potestate, certos tamen rerum; temporumq; articulos suæ gloriæ destinatos reseruat sibi: mollissimaque prouidentia, adeo vt impijs hominibus negligentiæ speciē præbeat, longe alio aberrantes mortalis prudentiæ ductus, vt tempori occurrant suæ gloriæ præstituto, eoq; appellant per se ipsi, vnde cursum auerterant, ex occulto sensim facit. Ita omnino, vt siue pro humanæ mentis arbitrio peccatorum, scelerumque nexus in re gerenda implicentur, siue virtutis actiones cum laude contexantur; suum ipsa finem, illis permittendis, his etiam tractandis, efficiendisque, consilij sui certissima, assequatur. Et in Campiani quidē causa, sua Deus ipse manu quædam, alia ab hominibus sceleratis impie instituta, ad contexendum martyri suo diadema, composuit. Dum enim obedientiæ, caritatisq; stimulis Campianus, mouente Deo, ad Lifordianum infinitis excipientium gaudijs redit, comitibus reditus non recusatis, quos redeundi suasores habuerat; Georgius Eliottus instigante diabolo, suorumque scelerum furijs agitantibus, Londino ad venationem sacerdotum, Iesuitarum præcipue, profectus est. Huius profectionis ordinem accurate acceptum, cum fide legentibus tradam. Iuuabit profecto veritatis amantes

po-

posteros nosse, quales tandem nostræ causæ hostes, quibus ex initijs diabolus excitarit. Georgius Eliottus honesto loco natus inter Catholicos, ingenij minime mali, aut contemnendi, religionis intactæ diu habitus est. Vnum illud notabatur à familiaribus, sententiæ semel arreptæ vsque ad pertinaciam retinentem fuisse. Inde litium dissidiorumque amor, quæ non magnis odijs, diutissimè tamen producebat, stulte præoptans de amicorum beneuolentia, quam de sua, vti rebatur, constantia remittere. Eum in familiam Thomas Ropperus vir egregie Catholicus, ac Thomæ Mori ex filia Margareta cultissima illa fœmina nepos admiserat. Multos apud eum annos nulla religionis, non multa morũ querela vixit. Cædis interim, ac latrocinij in suspicionem non leuem incidit, quod per idem tempus, quo interempti spoliatique nescio cuius hominis patratum scelus ferebatur, iter ipse per vicina loca fecisset. Extemplo igitur ad iudices Eliotti delatum nomen est, raptusque ipse esset ad vincula; nisi Ropperi eum dignitas à publica iudicum ira defendisset. Sed dilata potius carceris, quam plane prohibita contumelia videbatur. Iussus est proximis comitijs prouincialibus, quæ sexto quoque mense ad cognoscendas capitales causas gentis more coguntur, sistere se iudicibus, causamque illorum arbitratu dicere. firmauitque Eliotti promissa Ropperus,

rus,

rus, fidei, vti poſtulabatur, iuſſor. Res erat exitus ancipitis; ſupra capitale diſcrimen, infamiæ pleniſſima; ſiue fictum illud eſſet, ſiue verum ſcelus. Nam, quamuis inſonti, ſuſpicionum atrox inuidia non niſi magna vexatione, indigniſque, ac fœdis ærumnarum modis eluenda erat. Anxio ijs curis, & ſupra morem, modumque ægro animo haud minor, ex diuerſo, flagitioſorum amorũ æſtus ſuperuenit. Puella erat, cuius amore Eliottus inſanijt, ex eadem Ropperi familia, religione integra, ætate, ac forma florens, ingenio, niſi acer inſtigator acceſſiſſet, ad modeſtiam facto. Ac ne tunc quidem cum muliebri leuitate amatorijs poſtulatis aures, ſpecie tamen indignantis, præberet; pudicitiæ fines egreſſa: iuſti matrimonij tantum conditiones audiebat. Quanquam, & his viſa initio reluctari acriter, ac modo diuinas iras, modo herilem indignationem, modo infamiæ metum obijcere. Neque ceſſiſſet, niſi iuſtis nuptijs propitium Deum eſſe, inde humana omnia prona futura ſimplici puellæ Eliottus perſuaſiſſet. Atque, vt ſemel inclinatus in flagitium animus præceps abit: ne mendacijs quidem peſſimus ſuaſor abſtinuit. Habere ſe iactabat non penitus auerſæ ab eo conſilio herilis voluntatis argumenta certa: ad hæc paratum Catholicum ſacerdotem, qui viſos modo, volenteſque ſponſos Catholico ritu, ac ceremonia iungat. His mendacijs, infe-

licis coniugij. auſpicibus, perſuaſit virgini flagitium, fœdamque inſuper nocturnas per tenebras fugam. Sopitis circa omnibus, nocte media, inſcio Roppero, ac familiaribus, conſcendunt equos, citatoque curſu Londinum iter intendunt. Ibat nocturno horrore pauida virgo nobilis, præda iam inſani, paulo poſt etiam impij raptoris futura. Interque metus ſuos, ac Eliotti ſolantis interdum, interdum caſtigantis confidentiam ſuſpenſa, modo damnare audaciam, modo ſperare meliora, modo etiam, re deſperata, animum ad omnem euentũ obfirmare. Ita curſu non intermiſſo Londinum, quo deſtinauerant, peruenere. Agebat Londini Ioannes Paynus ſacerdos, tunc innocentia ſolum vitæ, nunc martirij etiam laurea cæli ciuis nobiliſſimus. Hunc Eliottus quia Chriſtiana caritate incitatum patronum apud Ropperum perpetuo habuerat, credidit conciliatorem nuptiarum primo, mox etiam gratiæ herilis reſarciendæ interpretem non difficilem futurum. Ergo adit hominem, factum demonſtrat, opem ad rem vtramque poſtulat. Vbi facti indignitate permotus ſacerdos operam negare, caſtigare immo audaciam, reditum ſuadere cœpit; quod ſi feciſſet, tum vero bona omnium venia, minimeque pernicioſo exemplo iungi maritalem torum poſſe: ſtupenti ſimilis Eliottus abit. Neque diu fuit. ſtupori furor, & atrocium meditatio ſucceſſit: ratusque

tusque extremam fortunam non nisi postremis consilijs iuuari; adijcit ad omnia scelera furijs iam plenam, agitatamq; mentem. Adit extemplo Franciscum VValsingamum, (hic ab epistolis Reginæ, vir sæuus, ac truculentus, Catholicorum hostis post Cecilium teterrimus fuit) simulata longo exordio maximi sceleris antea suscepti, cuius mox exponendi veniam orabat, pœnitentia: Papistam se ad eam diem summis in tenebris vixisse narrare incipit, nunc recepta diuino munere Euangelij luce, Caluini veritatem aspexisse. Paratum se, pro meritis, omnes vitæ in infando errore traductæ subire pœnas. His magna intimi doloris significatione dictis; posteaquam bono animo esse iussus, quasi recepto spiritu recreari se passus est: longo gemitu, ac querelis vitæ prioris detestationem de integro exorsus, habere se ait, quo tantum scelus compenset; si VValsingamus, ac Regína pró sua in Euangelium cura permittant, offerre suam operam ad Papistas omnibus insidijs, apertaque, si opus sit, etiã vi oppugnandos. Nota sibi multorum sacrificantium latibula, nota nomina, ac vultus. vtque se non vanis promissis ludificari regiam Maiestatem sciat, iam tum sacerdotem quendam è latebris in iudicia extractum, si per illum, Reginamque liceat. Immo vero summa voluntate Reginæ, procerumq; id facturum respondente, simulque lictorem

illum sequi iubente VValsingamo, sceleratæ orationi sæuo facto fidem facit. Ad notas confestim Payni ædes aduolat. Catenis oneratum benefactorem suum egregius meritorum exolutor ad iudices trahit. Adornat deinde sceleris commentitij fabulam: Reginam ad cædem à Payno quæri adscitis in conscientiā sæui facinoris viris quinquaginta. se quoque ab ipso Payno in societatem tanti parricidij vocatum. Hæc vbi machinatio processit, ad VValsingamum homo perfidus, non exultantis, vt re ex sententia gesta par erat, sed timentis specie reuertitur. Iam sibi à Papistis nullum tutum fore locum, nullam vitæ partem terroribus securam: agendam in siluis, latebrisque vitam anxiam, & locis omnibus pauidam, dum omnium odijs Catholicorum peteretur. Hic aduersus Catholicos ferociter coorto VValsingamo, simulque contemptim de eorum viribus ad solandum ægrū animi disserere incipiente: non multis esse opus subijcit Eliottus, iam sibi paratum proximis comitijs malum, falsa cædis, ac latrocinij suspicione afficta. Narrat sub hæc periculi sui caput, miserabiliterque, si quicquam de Euangelio meruisset, opem postulat. Non defuit supplici VValsingamus. operam ad supprimendam accusationem, iudiciumque auertendum promittit Eliotto, si pergat præsenti animo communem religionis causam promouere. Quamquam si me-

rita,

rita, inquit, expendantur Eliotte, idipsum „
quod petis meruisti. neque enim in vulgaris „
meriti loco poni apud nos scias, tam impiæ „
in reginã conspirationis indicium adeo aman- „
ter, atque opportune ad nos delatum. Fictam „
ab Eliotto Payni in Reginam coniurantis fabulam intelligebat. At hoc quantulum est? illico Eliottus. Quid enim merebor, si Iesuitam vobis aliquem exhibeo? Tu vero summa omnia, excipit VValsingamus, extemploque semotis arbitris rem transigunt. Statuunt vti Eliottus, antequam desertæ religionis nuncius latius manans Catholicis eum suspectum, ac proinde struendis insidijs ineptũ reddat; abeat Londino, Campianum, & Personium toto regno vestiget. Iam enim in prouincijs vtrumque vagari fama tulerat. Eunti VValsingamus regias epistolas tradit, quibus ad quærendos perduelles Pontificios, vinciendosque amplissima potestas fiebat proditori; simulque adesse in eam rem illi volenti magistratus omnes iubebantur. Additus tamen Eliotto é veterum satellitum numero homo vafer, & subdolus, qui nomine adiutoris, & honoris specie, suspectæ adhuc fidei neophyto Euangelico custos perpetuus hæreret: vana enimuero diligentia, curaque superuacanea. Nam Eliottus combibita penitus impietate, ac sæuitia, veteranum facinoris magistrum omni fraude, ac dolo anteibat.

CAPVT XXXVI.

Religionis simulatione in Lifordianum irrepit, sacrilege sacris interest Eliottus.

HIs artibus, regijsque mandatis instructus Eliottus Londino egreditur ad incertum per prouincias, vagumque maleficium. Magis enim Londinensium oculos Catholicorum, quibus proditor, vbique notabatur, effugiendi cura, quam sacerdotum protrahendorum spes ad sordidam, perfidiosamque peregrinationem incitabat. Ceterum erronem proditorem, dux diabolus ad certum facinus dirigebat; vt adeo imprudentem perfidiam felicem fuisse, immerito ipse deinde miratus sit. Dies Dominicus à Pentecoste nonus illuxerat, qui eo anno in septimum decimum Kalendarum Sextilium incidit, cum inter eundum, Lifordianam Iattæi villam tiro, ac veteranus iniquitatis satellites habuere in conspectu. Quæ aduersum Catholicos miscuerant colloquia tunc maxime feruebant. Duxit illico ex insperato ingentem gemitum Eliottus, mirantique comiti, Vtinam in illarum, inquit, quas cernis ædiũ penetralia aditus pateret, iam tibi ante lucis occasum Pontificium aliquem sacerdotē vinctum darem. Nusquam certior præda est.

Cogu-

Coguntur ad notam domini, familiæque superstitionem fugitantes isti lucis sacrificuli. Magnus earum virginum, quas Sanctimoniales vocitant, inibi coactus numerus, nunquam fine sacrorum ministro est. Neque dissimile vero fuerit aliquem etiam nunc ibi se iactare Iesuitam. sed aditu prohibent ipsa domus munimenta, suspicio ignotorum, diligens custodia, reuerentia nobilitatis. Quo dicto tacitus paulisper progressus est. Mox læto manuum plausu, Bene, inquit, habet, conuersus ad comitem. Est quem adhibeam impetrandi aditus interpretem. coquus olim Ropperi, eoque mihi societate seruitij familiaris, in hanc paulo ante transijt familiam. Cum dicto celerant gradum. Demisso qui fossam villæ circumiectam iungebat ponte, ad Eliottum veterem amicum gaudio alacer euocatus coquus accurrit. Vix mutuas peregerant salutationes, cum eum seductũ Eliottus composito ad omnem pietatis simulationem vultu, ac sermone docet, sibi homini Catholico non licere eo die, si facultas non desit, abesse à sacris. Non dubitare quin in tanta frequẽtia sacerdotum, aliquis ad sacrificia patranda id temporis in tam religiosas, copiosasq; ædes contulerit se. Obsecrat proinde ne se, eo salutaris hostiæ fructu, priuatũ, tempore tam opportuno, velit. Mouit oratio virũ simplicem. bono animo iubet esse Eliottum. Deum sancte, pieque cogitatis non defuturum.

rum: tum de comite, quidnam esset hominis, nam illi etiam aditum, si Eliotto videretur, à dominis impetrare cogitabat, quærit. Nihil illo esse opus Eliottus ait, bonum quidem virum esse; sed cui nihil necesse sit in re tanta fidere. Auxit sibi perfidus apud candidum Catholici hominis animum, quam alteri detraxit, fidem: incautosque fraudis qui in discrimen vocabantur fecit, dum ipse qui periculum creabat, etiam quæ tuta dicebat, cauere se simulat. Expectare ad ianuam iusso Eliotto, ad heram coquus quasi pij operis sedulus interpres aduolat. Rem exponit: summis precibus vti admittatur nouus hospes orat. Hera periculi semper pauens, tunc in ipso discrimine, vt sæpe accidit, etiam præsaga mali diu auersata orantem est. His insuper ipsis, inter alia, fertur verbis vsa: Agendum scilicet caute est. Scis ipse qualem apud nos thesaurum habeamus. Postea vero quam hominem sibi notissimum, sine vllo periculo admitti posse sanctissime confirmans, suum ipse coquus, si quid in tam bono Catholico offenderetur, caput offerebat; fessa obsecrãtis pertinacia admitti hera hospitem iubet. eum manu apprehensum dum coquus induceret, gratulantis more: Tu vero, inquit, meliorem opinione tua nactum te fortunam scito, Campianum, & sacrificantem hodie audies, & concionantem. Enimuero *prauum est cor hominis, & inscrutabile*, & multa quæ prodere

dere latentem animum. possunt argumenta, adeo ambigua sæpenumero sunt, vt perinde, ac quisque velit æqua veri similitudine accipiat. Ad Campiani appellationem inusitati gaudij signa toto vultu, ac voce edidit Eliottus: quæ cum sceleris essent concepti notæ, indicia pietatis credita non inepte sunt. Simulata confestim grauis negotij recordatione (quam ne tum quidem bonus interpres suspectam habuit) redit ad comitem, litteras regias apud illum depositas accipit. Vtrum eo tempore comitem ad magistratus, rei denunciandæ gratia miserit, an opperiri se iusserit, neque certo traditur, neque vnde affirmem refellamue habeo. Ipse eo consilio litteras dicitur accepisse, vt Edmundo inter ipsa sacra aut cōcionem, quasi in flagitio deprehenso, regio nomine, manus iniiceret. Postquam litteris in sinum coniectis ad arcana ædium ventum est; Campianum offendit confessionibus omnium exceptis, sacras vestes quibus operari sacerdotes fas est, induentem. Compositusque ad omnem pietatis simulationem tremendo sacrificio piorum turbæ immistus interfuit. Is forte dies inter Dominicos à Pentecoste numerabatur, vt ante dicebam, nonus. Quo ex sancti Lucæ Euangelio flens ad Hierosolymorum conspectum Dominus proponitur, cum amantissima querela: *Si cognouisses, & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi*. Ea occasione diuinæ

beni-

benignitatis diuitias, Iudaicæque pertinaciæ malignitatem in patriæ suæ miserabilem casum bonus concionator inter dicendũ traxit. iamq; animis diuino feruore cõcitatis, ad illa etiam deuolutus est, *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas*; tanto vel auditorũ motu, vel sensu suo, vt nihil simile ad eum diem ex mortali homine auditũ narrarent deinde qui interfuere. flebãt vbertim qui aderant, præcipue cum patriæ suæ cæcitatem, tantoque piorum sanguine quamuis plenam, nondum tamen exaturatam sæuitiæ imaginem, oratione dicentis pene sub oculos positam conspexere. Sustinuitque Eliottus eius commemorationi sceleris lacrymas inter cœtũ complorantium vberes dare, cuius mox ipse siccis oculis auctor, spectatorq; futurus esset. Fama est, quam ego certis auctoribus compertam habeo, fuisse animum, impetumque transfugæ non semel inter sacrum, interque concionem, quod antea constituerat, prolatis regijs litteris Campianum pro potestate vinculis deposcere. Sed vel cœtus amplitudine, ac splendore, vel conscientia sceleris, fædique flagitij verecundia, vel, quod certum est, diuino nutu, ne martyrij palma pene in manibus victori Campiano infringeretur, cohibitum. Neque enim dubium est quin audentem id sceleris proditorem discerpturi essent, qui aderant ex omni Catholicorum ordine viri, fœminæque, quorum plurimi

non

non prudentiſſimo ardebant, & religionis, & animorum ſuorum parentis zelo. coquus quidem certe cum armatis paulo poſt armatum ipſum Eliottum redeuntem ne interimeret, non voce modo, ſed manu etiam à bonis quibuſdam, pijsq; viris coërcendus fuit. Neque lenis rabies erat. prohibitum à proditore ferrum in ſe verterat, conſciuiſſetque ſibi ſceleratam necem, niſi ijdem, qui alienæ, vt parceret vitæ monuerant, ne ſuam cum certo animi exitio prodigeret, coëgiſſent.

CAPVT XXXVII.

Prodito hoſpitij iure Eliottus Campianum ad necem fruſtra totum diem quærit.

SAcris peractis propere diſcedentem Eliottum coquus aſſequitur. Negansque moris eo loci eſſe, vt pietatis ergo conuenientes hoſpites impranſi dimittantur; fruſtra detinere, confuſo non minus pectore, quam voce, vultuque hominem conatur. Maturandi ille itineris neceſſitatem voluntati feſtinandi facinoris obtendebat. Curſu quam maxime potuit citato in proximum pagum, milites, qui Campianum vincirent, conquiſiturus, abijt. Menſas interea non vnis in conclauijs hoſpitali prandio inſtratis Iattæi vxor cum

cognatis inuisebat. Erat illi de suspecto hospite cura imminens. itaque neminem prius in cœtu conuiuantium quæsiuit oculis. Vbi nullus apparebat, ex accersito eius interprete repentinum discessum hominis cognoscit. Inde grauiter icta animo, dolum quasi ex vestigio subodorata, ne hospitale tamen conuiuium turbaret, in occulto rem habuit. Ceterum speculatorem in summa domus turri, ad eam rem, si quam is turbo procellam excitaret, constituit. Nondum finem epulandi fecerant, cum exanimo similis speculator accurrit, magnamq; armatorum equitum manum ad se ire nunciat. Re vulgata, pauor, & concursatio incertæ turbæ: aliorum comploratio: inter primores consilia agitabantur. Primus omnium longa deliberatione opus non esse Campianus ait; vnum se ab armato magistratu peti, velle venientibus occurrere. Ita domum vexationi, familiamq; atque hospites præsenti periculo ereptum iri. Hæc intrepido vultu, voceque alacri pronuncians abire incipit. sed inijciunt continuo conlacrymantes qui aderant, abeunti manus. Negant vnius esse, quod vnus ipse subire velit periculum. omnium spiritum ex eius salute pendere. Neque sibi indecorum fore in eius partem discriminis, quod ipsi sua importunitate Campiano accersiuerint, venire. Erant domi, qui mos est Catholicis vsitatus in Anglia, frequentes latebræ, his ipsis para-

tæ temporibus: aliæ in parietum, aliæ in fornicum cauis, tenui tantum tectorio, in solidæ fabricæ speciem, inductæ. Eæ cum adducto ostio iunxere aditum, adeo apte cohærent, vt fraudis omnem suspicionem excludant: neque nisi temere gladijs, aut dolabra (quod frequenter hæretici faciunt) pertentatæ, vel ex ipso pleniore sono, vel cedente coagmentatione, inueniri possunt. Quamquam, & in summis non raro parietibus, persæpe in medijs excauati specus, etiam manum, quantum sese erigere satelles potest, tentantis effugiunt. In huiusmodi angustias Campianus, duoque domestici, de quibus antea dixi, sacerdotes coniecti; sacro interim instrumento alibi occultato, precibus intenti, interque spem, ac metum, quid optarent incerti tacite agebant. Septa inter hæc armatis domus. ad quærendum Campianum numerosus immissus miles. Ducebat agmen alio iam, quam cum supplex ad sacra irrepserat, vultu impudentissimus Eliottus. Ipse lustrare angulos: deducere in conclauia: illud idem penetrale, vbi paulo ante submisso genu venerabundus ad formidandum sacrificium procubuerat, furore amens euertere: familiam vexare: nulli siue hominum, seu cælitum parcere: ipse insignis in scelere esse. Nam quos adduxerat secum milites, partim inuidia noui ducis, partim nobilissimarum matronarum, virginumque reuerentia, mo-

destio-

deſtiores vt viderentur, faciebat. Erantque ipſi ex conſtituta Barchienſis prouinciæ militia, intra cuius fines Lifordianum eſt, homines domi ſuæ honeſti, neque prorſus ſceleribus aſſueti. Iam dies proceſſerat. feſſi quærendo omnia, atque euertendo, milites erant. Ergo execrantes irriti incepti vanum auctorem, ne ipſo quidem abnuente Eliotto, diſceſſum parant. Ante diſceſſum, Iattæi vxorem, matronā omnibus circa incolis venerabilem, duces cohortis adeunt. ſubmiſſo etiam genu veniam allatæ fruſtra vexationis poſtulant: hominem vaniſſimum, Reginæ mandatis tumentem, ſecutos ſe, iniquiſſimo animo operam perfido transfugæ commodaſſe. Nihil Iattæa magis, quam eorum importunitatem domo abigi, volebat. Quare ſupplicibus veniam facile, magno etiam cum honore verborum, dedit. Ita pleni irarum ipſi, confuſum pudore Eliottum abducunt.

CAPVT XXXVIII.

Renocatis in villam ab Eliotto militibus, iterum, ac tertio fruſtra quæritur Campianus.

VBi vero è villa egreſſi liberiores habuere voces; omnia in Eliottum conuicia congerere cœperunt. Luſam operam: ſuſceptas

ſceptas cum familia nobili inimicitias: nihil ex tanto labore, præter pudorem irriti conatus, referre domum. Non tulit ignominiam Eliottus. ſed rei turpiter infectæ crimen in illorum primo negligentiam, mox etiam oblique in perfidiam, qua præuaricarentur regiæ „ cauſæ, reijciebat. Ac ne intemperantia tan- „ tum linguæ id à me dici crimine mini, Agite „ dum, inquit, egregij quæſitores. quemnam „ vos parietem ad euertenda latentium recepta- „ cula effodiſtis? An vos obuiam exiſtimaſtis „ proceſſurũ quærentibus Campianum? an in „ propatulo, vt in oculos incurreret, futurum? „ Mirati hominis malignitatem primores militum, negant ſibi demoliendorum parietum eſſe poteſtatem. At mihi eſt, continuo Eliottus: regiumque diploma extrahit è ſinu, claraque voce recitare, vt fidem ſuis imperijs faciat, incipit. Recitare incipienti, ad tergus, clam, litterarum callens iuuenis adrepſit. Suſpicatine in tam vafro ingenio fraudem milites eum ſummiſerint, an ſponte ipſe ſua acceſſerit, incertum eſt: illud conſtat, & veritos in vafro ingenio fraudem milites, ne ſpecie recitantis è ſcripto, pro arbitratu ſententias, ac verba ſupponeret; & iuuenem obſeruaturum acceſſiſſe, an conficta, pro ſcriptis ſententijs, mendacia narraret. Non vana ſuſpicio fuerat. cum inter legendum quiddam Eliottus mentiretur, detegit extemplo fraudem, qui pone ſtabat. Exarſit ſci-

licet ira homo impotens. Statim eum, quasi Iesuitarum propugnatorem, pro imperio, comprehendi, vincirique iubet. Eo facto pauidum reliqui, metu victi, silentium tenuere. Mirum in modũ eo successu elatus Eliottus; recitatis, an pro tempore confictis regijs mandatis, reditum ad accuratiorem ædium inspectionem militibus imperat. Dum hæc foris geruntur, redintegrabantur intus gaudia, Deo gratiæ pro periculo discusso, vti rebantur, actæ: gratulationes inter se, mutuique amplexus, & si quæ sunt insperatæ securitatis ex proximo discrimine argumenta. Iamque obseratæ ianuæ, sublatus fossæ pons, omnis ex vehementi iactatione pristinam faciem receperat domus; cum ecce tibi aditum iterum à redeunte magistratu peti trepidi nuncij dominis attulere. Tum vero multo maior priore metus, altiorque cum stupore quodã mœror animos inuasit. Vnus ipse, cuius periculum agitabatur Campianus, lætitiam ore, verbis pietatem, toto motu constantiam præferre. Itur ad consueta effugia. ad lacrymas fœminæ; sacerdotes ad latebras, ad incertam concursationem redit pauidum famulitium. Vbi admissi iterum, renouata diligentia, milites acerrimam integrauere inspectionem; animo Iattæa, & corpore iuxta ægra in lectulum abijcit se; vocarique Barchiensem centurionem iubet. Enimuero agnoscere se ait viri sui immerentis fortunam,

tunam,

tunam. Quo enim ea militum leuitas pertineret, qui euerſam paulo ante domum ſpõte abſcedentes ſuſpicione liberarant; niſi, vt ſe morbo afflictam ea vexatione extinguerent? agnoſcere peccatorum ſuorum vindicem Deum. Pergerent porro ex interempta per ſummam iniuriam fœmina fortes viri triumphum quærere. Sibi quidem cæleſtem iram patienter tuliſſe laudi fore, illis ne ignominiæ, atque damno olim ſit eiuſdem miniſtros fuiſſe, ipſi videant. Adijcit orationi, quamquam conſtans animi, muliebris tamen ingenij non prorſus expers, lacrymas, totóque corpore auerſatur adſtantes. Eo motus ſpectaculo centurio orare, ne illam ſibi nequiſſimi delatoris improbitatem vitio vertat. obſequium à ſe regijs mandatis deberi. quæ quoniam apud hominem vltimæ dementiæ depoſita ſint, non poſſe eius furias auertere; moderari poſse. Itaque ſedato pauliſper animo eligat ædium quam malit, ſuæ quieti, partem. polliceri ſe nullas eis, quæ inſediſſet ipſa, conclauibus à ſuo milite turbas futuras. Iam adueſperaſcebat, cum ea denunciatione placata mulier illam ipſam ſibi deligit ædium partem in qua ſacerdotes latitabant. In illam ſumma omnium reuerentia deducta, dum reliqua domus, etiam tentatis, labefactiſque parietibus compluribus exploratur, in lectulum recipit ſe. Ad multam noctem ſcrutandi omnia ſollicitus labor, & an-

xia diligentia milites fruſtra fatigauit. Cibo inde, Iattææ liberalitate, copioſe, lauteque ſumpto, neceſſariæ quieti dedere ſe. Deſperatus ſucceſſus, ingens laſſitudo, largior cibus, potuſque alto ſomno paſſim iacentes, vt quemque ſors tulerat, oppreſſere. Simulare contra ſomnum Iattæani, omneſque obſeruare militum motus. Vbi non ficto ſopore grauem premi militem comperit Iattæa: (& media forte nox erat) Campianum, & reliquos ſacerdotes è latebris euocari ad ſe, intempeſtiuo ſacræ concionis à Campiano audiendæ ſtudio iubet. repugnantibus periculoſæ pietati domeſticis, affirmat, certa ſe animi prouiſione cernere, ni tunc adeſſent, nullam in poſterum alloquendi inuicem, audiendique fore poteſtatem. proinde ne poſtremo illo ſolatio ſe deſtitutam velint. Obſequendum piæ pertinaciæ fuit. Aduocati ſacerdotes, multis præſentibus, effuſeque lacrymantibus, aſſedere iacentis lectulo. Neque inde prius abſceſſum quam pia conciuncula à Campiano, ſolandis, recreandisq; omnium animis, ſumma dominæ contentione extorta eſt. Lacrymas auditorum, quas non modo pietas, ſed admotum etiam, ac pene præſens viri adeo ſancti, adeoque ſuauis oratoris diſcrimen excitabat, memorare ſuperuacaneum reor. Tantum certe intimis animis poſtrema illa allocutione gaudiorum excepere; vt pene periculorum obliti liberius

quam

quam vt obſeſſi agerent. Miſſa concione in ſua quiſq; loca abiere. Forte inter abeundum è Campiani ſocijs ſacerdos vnus grauiter offendit. & quoniam idem venienti primo acciderat, iteratus fragor collocatos ex induſtria ad fores dominæ milites excitauit. Conclamatur illico ad arma. Sine dubio Ieſuitarum concurſationes nocturnas illas eſſe: latitare in conclaui ſepoſito: pene viſos: pene è manibus elapſos. Ergo fidei obliti, Iattææ conclaue aggrediuntur, minis atrociſſimis frementes: omnes eius partes excutiunt: interiores cellas permeant: multa indigna in nobilem matronam agunt, mentiunturque. ſed fruſtra iterum cecidit immanis furor. antequam illi irrumperent, ſuis quiſque recepti locis, eluſere rabiem inſequentium.

CAPVT XXXIX.

Campianus duoque alij ſacerdotes, dum Deo attente ſupplicant, comprehenduntur.

IAm inter eas turbas illuxerat, continuataque nocturnæ inquiſitioni, multarum horarum diurna diligentia nullo fructu, deſperare ſucceſſum non modo milites ceteros, ſed ipſum quoque Eliottum ſubegit. Abire igitur milites incipiunt, iamque abeunti

transfugæ verecundia infelicis perfidiæ in rabiem verterat. neque vox illi, neque vultus, non manus, non oculi constabant. belluam dixisses, non hominem, adeo insana vociferatione omnia implere: oculorum coniectu terrere obuios: ex quacumque re conuiciandi occasionem arripere. Hærebat abeuntis lateri additus honoris specie, ipso tumultus initio, à Iattæa custos, vir iuxta pius, ac prudens, qui pro re consilium caperet, motusque omnes, ac verba proditoris excepta, fidos subinde per nuncios ad Iattæam transmitteret. Hunc perpetuo lacessitum iurgio, nullaque, nisi irritæ insaniæ causa vexatum, acribus ad extremum contumelijs incesserat Eliottus, cedentem semper furenti, vultusque, ac vocis mollitie frangentem iras. Huic iunctus, ad scalas iam abiens processerat: cum repente ad eum conuersus. Ille vero paries, inquit, effossus nondum est? digitoque certum, qui scalis imminebat, nulla suspicione notabilis, locum designat. Perculit necopinata vox hominem, receptorum eo prorsus, qui designabatur, loco sacerdotum conscium. Notauit confusi vultus, insolitique silentij signa Eliottus: iterauitque eadem ipsa verba ferocius, ad arguendam pauore conscientiam. Tum comes nescire se respondit. Quid vero tum? an totam subruere à fundamentis domum cogitaret? satis iam demolitionum, satis ruinarum factum.

de-

deducebatque leniter reſtitantem. Fixus ille immo vociferari, & ſubruere domum, & ruinas amplificare conſilium ſibi eſse. Tum periculi conſcijs timore defixis; ignaris, furorem hominis demirantibus: malleum fabrilem ad effodiendum locum clamoribus inſanis poſcit. eum vero amens rabie cum in parietem vix ſumma hærentem cruſta magna vi impegiſset; ſtupens ipſe inſperati ſucceſsus miraculo, magno domeſticorum gemitu, incerto fremitu militum, latibulum martyrum aperuit. Patuere in ſacris adytis, anguſto lectulo, tres iacentes viri, oculis, vultu, manibus in cælum erectis: parati ſcilicet ad omnem diuinæ nutum prouidentiæ. Iam enim productis, elutiſque inuicem, ſacra confeſſione, eo temporis puncto, peccatorum maculis, hoc ſibi pœnæ, vt in tanto rerum articulo, impoſuerant: vti ſancte, pieque Deo ijs verbis ſupplicarent, *fiat voluntas tua*. Ternam etiam ſancti Ioannis Baptiſtæ implorationem imperatam, quem patronum inuocanti Campiano in ſimili olim cauſa adfuiſse memorauimus, addit Tarraconenſis Epiſcopus. neque vero nihil, expediendæ ad martyrij lauream viæ, has magno fuſas ardore ad Deum preces valuiſse crediderim, eo tempore, quo ſi humana æſtimatione penſanda res foret, extra aleam, atque extra telum, vt aiunt, eſse, abeunte poſtremum Eliotto, videbatur. In hunc modum Edmundus

mundus Campianus non antequam Deo visum est, vt ipse olim ad Euerardum Generalem Præpositum non falſe minus, quam vere ſcripſerat: hoc eſt cum minime mortalibus videretur: in hoſtium manus venit, duoque cum illo Iattæani ſacerdotes, Ioannes Kolingtonus, ac Thomas Fordus. Non ſum neſcius, multa aliter, quam hactenus expoſita à nobis ſunt, tum alibi, tum hac præſertim Campiani comprehenſione ab alijs narrari: quædam etiam publice litteris edita, iam hominum trita manibus, aures mortalium occupaſſe. Sed ego id in hiſtorijs conſcribendis euenire comperi, quod in repentinis imbribus quotidie conſpicamur: vt quæ primo illo effuſæ nimbo in riuos, torrenteſque concurrunt, correpto puluere, ſordibuſque, inſinceræ fluant aquæ: eædem tamen ſi alueis, foſſiſque receptæ conſtiterint, ſubſidente paulatim limo colliquentur. Neque enim fieri poteſt, quin recentibus rerum geſtarum rumoribus, multa, vti hominum loquacitas, leuitaſque fert, vel detracta, vel addita, vel certe immutata afferantur; quæ feruore illo audiendi paſſim, narrandique ſedato, ſua pene ſponte ita componantur, vt paulatim emergant, quæ latuere: quædam obruantur male fluitantia: ſuo quæque loco, ſitu, colore, magnitudine, cernantur. Ego certe reliquarum, quas expono, rerum idoneos, huius vero comprehenſionis non leues

rumores, turbidamque (vt initijs solet) ex incerto famam, sed rebus iam longo tempore sedatis, certissimum auctorem Personium habeo. ipse rem totam ab eo, qui gerendo interfuit, additus Eliotto, vt dicebam, comes, accepit; quam cum fide, curaque olim retulit in commentarios, eosque mihi duces, dum hæc Romæ scriberem, dedit.

CAPVT XL.

Catholici aliquot laici cum Campiano vincti.

CApto duobus cum sacerdotibus Campiano adiecti etiam, veluti eius artibus, ac saluti fauissent, an quod eum tantum audiuissent? (ad audiendum certe, vti dicebam ante, conuenerant) nobiles nonnulli. Eorum ego, duorumque præterea ex tenui familia Catholicorum, multo iustius, quam triumphantium olim ducum Romani fasti consueuere, nomina adscribam. Fuere Ioannes Cottonus, Gulielmus Hisdefleus, Humfredus Kaines, Philippus Lous, Eduardi duo Iattæus, & Kaines, & Ioannes Giamus. Hi ex claro genere. Humilioris fortunæ, quam Christi ignobilitate illustrarunt, Gulielmus Valbinus, & Ioannes Mansfeldus. Hos præclarissimi comites triumphi

habuit, cum regiam Angliæ vrbem catenis onuſtus inuectus eſt Campianus.

CAPVT XLI.

Londinenſe captiui Campiani iter, cum diuerſis populi de eo, deque Eliotto iudicijs.

QVibus ex diuerſo Eliottus, ac Iattæi familia poſt huiuſmodi patratum facinus agitati ſint animi motibus, ſuperuacaneum eſt referre. Quippe, vt de Iattæanis taceam: Eliottus in tuto locatas fortunas, vti rebatur, ſuas, eo inſolentius ferebat, quo, & iucundiorem prædam fecerat eius toties concepta deſperatio, & accenſum conuiciorum ignominia animum victrix pertinacia felicitatis impotentiorem reddiderat. Quid, dum ex latebrarum anguſtijs producuntur, egerint, dixerintue Chriſti martyres, parum inuenio. illud Tarraconenſis Epiſcopus ſcriptum reliquit: tanta oris conſtantia, vultusque hilaritate, addito ſuauiſſimæ orationis natiuo lepore egiſſe eo temporis articulo Campianũ, vt hoſtium furore repente mitigato, multorum amorem dolore incitatum ad lacrymas vocarit; ſimulque omnes admiratione defi-

xerit. Liberaliter quidem ille honesteque, libera pene custodia, à Fredo Frostero Barchiensis prouinciæ præside habitus est. Is, cum è proximo opido, prouinciales milites euocaret, comprehendendi Campiani causa, Eliottus: longe aberat. Deo fortasse liberiorem permittente insanienti transfugæ furorem, ad patientiæ meritum martyri augendum. Neque enim dubium est, quin multo mitius, humaniusque tum hospitibus, tum vincto, eo in tumultu, Fredus moderator fuerit consulturus. Ad comprehensi certe nuncium in Lifordianum, animo mire anxius, se contulit. pridem scilicet illi, à puero, in talem virum inolita reuerentia, durum ministerium detrectabat. Olim siquidem ingenij fama notum Edmundum, præsens deinde, in scholis iam Oxoniensibus dominantem, coluerat: postremo sanctitatis etiam fama celebrato occulta animi inclinatione fauerat. Ad eum vbi venit; extemplo litteras ad senatum de re tota, per dispositos equos, Londinum dat, quidque tanta in re fieri iubeant, consulit. Interea Campiano veteris amicitiæ signa omnia, præsentis fortunæ nullum, nisi abeundi ereptam potestatem exhibet. Adiectum potius, quam detractum captiui dignitati diceres: adeo honorifica ædium parte, famulitio liberali, vti eum Frosteri comitas voluit. cum ille modo singulos, modo vniuersos, conditionis vel negligens, vel

oblitus

oblitus ſuæ, monere, hortari, ad omnem fidei, morumque integritatem accendere non deſiſteret. Deuinxit ſibi ipſorum animos ſatellitum tanta mitiſſimi ingenij facilitas, vt iam non magis Prætoris voluntate, quam ſua, captiuum pro domino colere viderentur. Triduum, ſenatus de Campiano conſultum, in ipſis Iattæi ædibus expectatum eſt. Quarto demum die allatæ ſenatus litteræ. ſenatui placere vti Londinum idonea cum militum cuſtodia rei deducerentur. Eductum, magna comitante armatorum peditum, equitumque manu, ex villa captiuorum agmen, Iattæanæ familiæ complorationes, ac lacrymæ, ſupra quam dici poteſt, miſerabiles proſequuntur. ij vero quibus animus tanto malo ſupererat, etiã oculos, quoad ſequi abeuntes cernendo poterant, poſtremo cariſſimorum capitum ſpectaculo impendunt. At qui ducebantur Chriſtiani heroës confluentibus vndique ad ſpectandum virorum, ac mulierum agminibus admirationi erant. tantam in tanto periculo animi altitudinem ipſis oculis, ac fronte, nedum verbis, quæ facillime ſimulantur, præ ſe ferebant. Neque ſoli qui ducebantur, etiam qui ducebant occurſantibus oſtentui fuere. Eminebant enim inter reliquos diuerſi agminis principes duo: Campianus in ſanctis confeſſoribus, in cruentis ſatellitibus transfuga Eliottus. Illum oris modeſtia, vultus ad omnem caſtæ hilaritatis

ima-

imaginem conformatio, verborum parcitas, ac pietas, insignem reddebant; hunc ab insita animo superbia, etiam recenti ferocia procax petulantia, ambitiosa toto palam motu corporis, quasi gloriosi facinoris, iactatio, & sine riuali fœdus sui amor. accedebat lasciuientis in læta fortuna sermonis impotentia: multoque magis adeo fœdi facti prædicatio insolens, notabatur. Neque tacita erant occursantis, obseruantisque propius omnia, vulgi iudicia. Dabat linguæ impunitatem confusa multitudo. Quare non modo hæretica factio, regiæ iræ ob communem prauitatem secura, verum etiam quibus alioqui Catholicæ pietatis conscientia dolorem in abdito continuisset; publica defensi, qua flagrabat proditor, inuidia, & quasi tenebris obiectæ multitudinis occulta, quid de vtroque sentirent, libere promebant. Mirumque fuit in tanta, rebus omnibus diffidentium, hominum turba, inuentum neminem, qui Eliotti vulgatam iam perfidiam, atque os impudens non detestaretur. Cœptum immo iam tum in Eliotti nomine vulgari conuicio ludi: vt Iscariottus, an Eliottus diceretur, per iocum quærerent. Seditque magni proditoris nomen nostro perfugæ deinde adeo obstinate; vt ad nostram vsque ætatem promiscua pene appellatione Eliottus, atque Iscariottus censeatur: vsque adeo perfidiose facta, si præsertim innocen-

tem

tem lædant, paratum etiam apud improbos odium inueniunt.

CAPVT XLII.

Post celebre confluentium populorum studijs iter, Londinum ignominiosa pompa traductus, in vincula conijcitur.

QVamquam perpetuis occurrentium turbis celebratum est postremum hoc Cãpiani iter: illustres tamen tribus fuisse locis, insolitosque occursus accepi. primum Abingdoni, Henlæi alterum, postremum Kolbruci. Et Abingdoni quidem, quod Oxonio millibus passuum non plus quinque abest, effusam habuit ad spectandum suum olim alumnum, mox & missis libellis monitorem Campianum, Academiam Oxoniensem vniuersam. Quos ille, medius inter stipatores, vultu placidissimo salutatos, postquam sui videndi auidos accepit; alta voce, qua solebat comitate, interrogauit, num etiã de æterna salute verba facientem audire vellent: quod & paratum se facere, si liceret, affirmauit. Henlæum inde processum est. Hic incautius agenti, auidiusque Campiani colloquium affectanti Gulielmo Filbæo sacer-

doti manus iniectæ à regijs: exemploque veteris Adaucti, fortuitus (si ita loqui diuinis in rebus fas est) Confessorum agmini Christi miles accessit. fortis in primis, ac strenuus, nec nisi vita polita, piam causam deserturus. quod & antea diuinitus prænunciatum, ipse multis aperuerat. Visus enim sibi ante paucas noctes erat, per quietem, immani cruciatu euiscerari, dein etiam lacerari. Quare miserabili clamore, atque gemitu, & se ipsum, & contubernales nouitate rei territos, excitauit. Fuitque somnio vis prædictionis. vsitata carnificina, constans veritatis propugnator, post Campianum dilaniatus, lætitiam præstitit vigilans veræ neci, qui fictæ in somnis mœrorem dederat. Eodem loco Campianus Personij seruulum obuium habuit, agnouit, salutauitque læto oculorum nutu, quoniam colloquium intutum erat, inter circumfusam, hærentemque lateri custodiam. Hunc Personius, qui Henlæo duobus ferme stadijs cõsulto constiterat, ad Edmundum vel verbo, vel quacunq; posset ratione salutandum miserat; simulque explorandum, quid virium, quid animi, quid dignitatis ad sustinendam causam afferret. Ipsum visendi dulcissimum amicum, sociumque sanctissimum cupiditate succensum, amici cohibuere; certe, & adeundi impetus fuit, & tanti supremũ illud officium, quamuis capitale videretur, esse existimabat. Sed

Deus illum præſenti periculo exemptum, felicitate, ac diligentia nuncij ſolatus eſt. Mirum fuit. nutibus vtrinque res tranſacta. acceptæ, redditæque etiam, abſentis nomine, ſalutationes, reſponſumque, ſalua omnia, lætaque Deo duce eſſe. Poſtrema loco, ſed frequentia princeps Kolbruciana celebritas fuit. Londino millia paſſuum non plus decem Kolbrucum diſtans, auidæ ſpectaculi tantæ ciuitati facilem acceſſum dedit. Effuſi ergo omnium ordinum, omnis ætatis, ſexuſque homines, vix cuſtodibus, captiuiſque locum, ſpatiumque eundi, manẽdiue relinquebant. Conuenere ex primoribus, nobilitatiſque principibus non pauci. hi Campianum ſalutare, atque alloqui mire auebant. ne facerent, eius hærens lateri, magnæ auctoritatis, regio iuſſu, cuſtos impedimento erat. Sed huic etiam malo obuiam diligentia, piaque fraude itum eſt. Applicabat ad cubiculi quo claudebatur, parietem ſeſe Edmundus, aduerſumque ſibi è proximo cuſtodem ita vario ſermone detinebat, vt ab illius tergo, colloquij auidi nobiles impune tanta præſertim in turba ſtarent. inde mirabili ingenij dexteritate, nutu, atque oculis tacitos hoſpites; verbis, ac voce incautum cuſtodem; vtroſque ad rem, de qua, ſermone hic, illi nutu compellarent, aptiſſime alloquebatur. Hinc abitum parantibus regiæ litteræ ſuperuenere. iubebant, captiuos, adſtrictis ad ter-

gus brachijs, alligatis ad iumentorum, quibus veherentur, latera, ventremque pedibus; tota quam longe porrigitur vrbe, non turmatim, sed longo singulos ordine, ad arcem Londinensem deportari: quoque insignior esset frequenti spectatore ignominia; subsisterent Kolbruci ea nocte; postero die, quo ad nundinas Londinum frequentissime vndique conueniebatur, vrbem inirent. ducem fœdæ pompæ Edmundum facerent. eius galero titulum litteris grandioribus assuerent eiusmodi. EDMVNDVS CAMPIANVS SEDITIOSVS IESVITA. Ad eius rei nuncium varij animorum motus excitati. Custodum duces vanitatis pudere. nam quo pertineret vinciri repente eos, quos non modo libere, sed etiam honeste hactenus deduxissent? contra satellitum vulgus probandæ sæuitiæ oblatam occasionem gratulari, auideque arripere: conuicia in insontes iacere: nostri postremo gaudere, *quod digni habiti sunt pro nomine* IESV *contumeliam pati*. Eximium apparuit eius argumentum lætitiæ in Campiano, ad quem ignominiæ pars longe maxima pertinebat. At satellites ex præscripto omnia peragunt. Expedita confestim vincula: colligati fœdum in modum artus liberi: inscripta homini mitissimo Campiano seditio: instructus demũ per lasciuiam militarem, summo infimæ plebis plausu, inanis, de Catholicorum dignitate (vt ipsi rebantur)

bantur) expugnata, triumphus. Ibat inter imperitæ multitudinis, vrbanæque fæcis ludibria longus liberorum, immo & sacrorum ordo capitum, haudquaquam captorum specie: sed inuictus animo, vultu alacer, aucta ipsis in aduersis maiestate. Neque diffitebantur Catholicarum hostes partium augusti nescio quid in illa Christianæ fortitudinis pompa eminere. Religionis tantummodo errorem, quasi malam bonis patronis causam miserabantur. Contra queis sensus rerum cælestium integer, patriæ cæcitatem deplorare: quę decora olim sua adeo indignis, fœdisque modis traduceret, auitæque religionis integritatem inter seditionis crimina numeraret. huc scilicet recidisse celebratam tot ante seculis Anglicam pietatem, vt eam pro seditione proscribant. Senatus inde calliditatem execrari qui nullius compertos criminis, quo plausibilius postea necare posset, ignominia populari notatos in præsens voluerit. Pijs interim precibus, tacitoque plausu duces suos prosequi: cōpescere interdum per causam humanitatis, procaciam vulgi: nihil mirum dicere, si tam bona causa, etiam prodigos sanguinis defensores inueniret. Inter hæc diuersa populi, vndique confluentis, studia ad maximum Londinensis vrbis forum ventum est, medio fere Londino situm, contrahentium multitudine celeberrimum. Kepseidi, hoc est licitantium, nomen ex re

inuenit.

inuenit. Eius medio ingens antiqui iuxta, atque eximij operis crux visitur. marmorea primo, mox ex albo plumbo inaurato in eximiam altitudinem assurgit, signis vndique ad iustum hominis modum egregie factis, circumquaque conuestita, neque quicquam fortasse est ex vetustis operibus toto Angliæ regno cultius, aut magnificentius. Itaque cum hæreticorum furor in omnia beatorum cæli ciuium monumenta sæuiret; huic vni cruci regio iussu ob excellentiam operis, ac singulare pretium pepercit, frustra frementibus Caluini ministris reliquias Papisticæ superstitionis Christianæ Reginæ probro esse. Quin & olim occulta vi molem deijcere, aut corrumpere conati, pœnas audaciæ capite luerunt. Hanc ergo crucem cum præteriret Campianus, quanta maxima potuit totius corporis inclinatione Domini ex ea pendentis memoriam veneratus est. simul quo potuit constrictæ motu dexteræ, idem sibi salutare signum impressit. Habuitque dissentientis hic etiam populi dissonum murmur. Corruptæ religionis fæx admiratione partim facti attonita, quo pertineret illa tam grandis salutatio quærebat è proximis; partim consilij martyris gnara irridere pietatem, sibilisque, ac vociferatione, quæque alia commotum indignatione vulgus in promptu habet, debacchari. exultare contra boni constantia victrici, claroque in infesta ciuitate commili-

tonis testimonio: idque ipsum hostile spolium credere, quod terrorum victrix pietas palã conspici non timeret. Arx inde Londinensis in conspectu fuit. Hic antequam nouis carcerum magistris traderetur Campianus, placido vultu ad veteres conuersus custodes: condonare se illis Christi causa quæcumque in se peccassent pronunciat, multoque maiorem ex eorum cæcitate, ac periculo, quam ex suo incommodo, ærumnisque capere dolorem. orare misericordiarum Patrem, lucisque largitorem Deum, pleno vti Sole eorum se tenebris infundat. Sic monitos salutatosque vexatores suos, tanquam verissimum patientiæ regnum initurus, arcem primo, mox designatum sibi carcerem, summa mentis, vultusque non modo constantia, sed etiam hilaritate ingressus est.

CAPVT XLIII.

Blandientes primo, mox torquentes hostes inuictus frangit.

PRimum regiorum consilium, ac mens fuit, Campiani animum mollibus blanditijs, promissorumque magnitudine flectere: id ni succederet, cruciatuum vltimis infringerent. Mollibus ergo initijs cœptum certamen. clementes carceres; custodes ad obse-

obſequium ſimulata promptitudine parati. Ac primo, de vniuerſa religione mutanda postquam parum proſpere à multis cum illo actum eſt: minora poſtulata maximorum cum illecebris præmiorum ſucceſſere. Promittebantur publico regiorum nomine liberales cenſus, & quoniam in ſacris agere animus erat; etiam luculenta ſacerdotia proponebantur. Quin & ipſe obiectus in ſpem, oblatusque Cantuarienſis Archiepiſcopatus, quo nullus toto regno amplior, ſumma principum virorum ambitione expetitur; ea mercede tantum, vt leuiter deſiperet, hoc eſt ſi eorum templa adire, ſi intereſſe impijs ceremonijs, ſi quicquam ſimulare cum hæreticis ſibi eſſe in ſacris rebus commune, in animum induceret. Ipſe in primis machinas admouebat arcis præfectus Odoënus Hoptonus, vir de cuius nequitia tacere præſtat, quam pauca dicere. nemo certe in Catholicos propius pugnauit. tortor acerbus, blanditor venenatus: promiſſis magnificus, atrox minis: & cum promiſſa, rarus fidei, ſerusque exolutor, maligne præſtaret; minarũ tamen terrores præceleri factorum crudelitate ſuperabat. Mendaciorum idem conſutor egregius, niſi quod impudenter ſæpe mentiendo, perſuadendi etiam, quæ probabiliter interdum excogitabat, vim ad vltimum amiſerat. & quamquã ſacramento mendacia firmare homini ſacrilego religioſum non erat, iuratus tamen, ſu-

ſpicionem impietatis tantum, non veritatis fidem audientibus faciebat. Verum eo tempore nondum vulgata vanitas mendacis erat: eo multis impoſuit. Hac arte cum de multis ob religionis cauſam vinctis multa mentiretur; tum de Campiano tot, tantaque diſſeminauit in vulgus, vt rumor clemens primo, mox vehementior increbuerit, titubare Cāpianum, parumque abeſſe, quin in Proteſtantium hæreſim concederet. Tantumque ea fama etiam apud proceres, Hoptoni periurijs valuit, vt, qui per ea tempora Lutetiam Pariſiorum, reipublicæ cauſa, VValſingamus à Regina miſſus legatum apud Regem Chriſtianiſſimum agebat; iureiurando palam confirmaret, Edmundum abiecta Romanæ fidei conſtantia ad Lutheri ſigna tranſgreſſum, parari ad nouas Reginæ liberalitate dignitates, ac propediem Cantuarienſis ciuitatis Antiſtitem futurum. Neque hæreticos tantum eius opinionis error inuaſit, tentauit etiam Catholicos: quorum nonnulli ob tam ſanctas hoſtium execrationes ſuſpectam ſanctiſſimi viri fortitudinem habuere. labantibusque in vtramque partem mentibus, vtrū anteactæ innocentiæ Campiani; an conſtantiſſimis famæ ſermonibus magis crederent, incerti hæſitauere. Dum Cāpiani ſalus mollibus blanditijs, nomen mendacijs oppugnatur; ex fortuitis, diuerſiſque eorum, qui in vinculis erant, ipſiuſque Campiani ſermoni-

bus,

bus, itineris à Campiano ad Iattæum initi vestigia odoratus arcis præfectus est, is ad senatum rem defert. illi callida coniectura non procul inde abesse prelum, cuius beneficio proxime libellum Campianus ediderat, suspicati sunt. Inde multas locorum opportunitates, hominum instituta, vitamque conferentes, credidere non nisi apud Stoneram viduam tantum Reipublicæ malum latere posse. Dant ergo ad Henricum Niuellum equitem auratum, quod Stoneræ proximus habitaret, litteras, Reginæque, de eius matronæ villis, ædibusque quam citissime possit inuadendis, mandata. Non seuerius imperatum, quam celerius factum. Circumsessæ à Niuello ædes in silua sitæ: immissi satellites: comprehensi qui prelo operam commodarant ad vnum omnes, tum maxime cudendo Catholico libello insudantes. Fuere, vir memoratu dignissimus Stephanus Brinclæus, de quo supra verba feci, preli præfectus, simulque operæ illæ quatuor, quibus diuerso cognomine, idem Ioannis nomen fuit; Harrisius, Tokerus, Kompsonus, Harræus. in primisque Gulielmus Hartlæus sacerdos, ille qui Oxoniensibus comitijs Cãpiani libellum intulerat. Inde ad ædes, quas vidua incolebat, transgressus Niuelli furor. Ibi Ioannes Stonerus viduæ filius per causam recepti domo sacerdotis captus, reliquo agmini adiunctus: omnesque eadem fere, qua

Campianus, socijque, pompa Londinum in arcẽ vecti in durissima vincula coniecti sunt. Vnus tantum in ipso carceris aditu defecit Ioannes Kompsonus. victus quippe animi, defectionis flagitio carcerem redemit. Etenim arcem intranti è custodum plebe quidam exiguo intentato cultro mortem per lasciuiam minitatus est, ni synagogam Protestantium adiret: fecitque maius ludicræ operæ, quam sperabat, pretium. Homo timidioris ingenij hæret primo, ac titubante responso mentis inconstantiam prodit. mox conditione accepta cum risu multorum, paucorum exili plausu, liber emittitur. tantulo momento æterna salus misero erepta est. Reliqui, quod intulere primum, præstitere deinceps cõmuni causæ robur animi, nec multo post profuso sanguine Hartlæus; ceteri longa grauissimarum ærumnarum, rapinarumque patientia clari, insignem de victis tulere hostibus triumphum. Rumor interea de subuerso Campiano Hoptoni artibus in dies auctior, publicis etiam hæreticorum orationibus alebatur. Neque Londini modo ad Sancti Pauli crucem, qui locus habendis concionibus amplissimus, celeberrimusque est; sed toto etiam regno passim è superiore loco grates superis pro Edmundo ad suas traducto partes ab transfugis agebantur. Iam ea famæ cõstantia inuidiam ingentem nostro nomini conflarat inter æquos pariter, iniquosque

que

que. Flagrasletque ea flamma meritis aduersa Campianus, nisi eum tota de re tandem, victa custodum solertia fecissent amici certiorem. Exarsit scilicet ille iusta in prædones dignitatis suæ iracundia, grauiterque apud Hoptonum de illato probro, ac labe conquestus est. Neque aliud eluendæ maculæ remedium quærendum fuit. Agitari furijs cœptus homo impotens, Quandoquidem, inquit, „ auctor mollioris fortunæ placere non potui, „ an durioris incentor placere possim, experiar. „ Exinde furibundus, carcerum, vinculorum, victus, cultusque rationem Campiano ad extrema omnia reuocat. Paucis post diebus de tormentis, ac quæstionibus agi illo potissimum, vt creditur, instigatore cœptum est. Ea tormentorum fama suspicionum de Campiano aduersa mitigauit. Sed antequam torqueretur Edmundus, ne gratuita sæuitia videretur, consultauere senatores in ea capita, quorum confessio acerbitate quæstionum exprimenda esset. Visa hæc pro tẽpore opportuna; quoniam crimen nullum, si religio Romana crimen non sit, obiectari probabiliter poterat: Cuius missu in Angliam, quo cõsilio traiecisset. Cuius domo exceptus: cuius liberalitate vsus esset. Quos Romanæ Ecclesiæ, quibus artibus adiunxisset. Apud quos externa fecisset sacra. Quorum crimina: infandumque dictu, quænam, cuiusque, in sacrosancto Pœnitentiæ iudicio peccata cognouisset.

ſet. Addita poſtremo anceps illa, & capiendis parata ſemper incautis quæſtio: quidnam de Pij V. ſentiret litteris, quibus Eliſabethæ ius regni abrogatur, cœtuque piorum interdicitur. His apparatis, ad quæſtiones depoſcitur Edmundus. Eſt in arce Londinenſi ſpecie horrendum, tetrum odore, ſitu ſquallidum, amplitudine ingens, depreſſum
" ſub terras torquendis noxijs antrum, tene-
" bris fœdum adeo, vt face tortores agendis
" machinis, itemque quæſtionum præſides ex-
" cipiendis nocentiũ dictis opus habeant. Tormentorum in ijs genera complura, quæ à noſtro vſu abhorrentia quia nimium ſæpe memoranda in poſterum occurrent, deſcribere hoc loco non ineptum fuerit. Equuleus principem torquendi vim obtinere dicitur. eius forma eſt eiuſmodi. Tigna iuſta craſſitudine, longitudine humanam ſtaturam aliquantulum excedente, humi in longum proiecta figuntur tanto inter ſe interuallo, quantum laxe capere iacentem hominem queat. duobus à ſummo, imoque iunguntur ligneis cilindris, qui extenuato vtrinque capite, tignorum iacentium aptis immiſſi foraminibus, facilem habent circumactum. Præſertim cum æquis, medio eorum ſcapo, ſpatijs inſerta manubria, radiorum more hinc, atque hinc emineant, quibus conniſi tortores facile licium ferale circumuoluunt. Medio, inter tigna, ſpatio iacere iuſſum reum ſummis manuum,

pedumque articulis constrictum alligant diuersas ad vtriusque cilindri partes quatuor. Ibi manubriorum radijs subinde, perpetuo circumductu commutatis, vincula conuoluendo, alligatum in diuersa corpus suspendunt modo mollius; vehementius modo; sæpe tanta vi, vt omnibus luxatis artubus, vitæ vsum semper, vitam ipsam non raro miseris per summum cruciatum eripiant. Altera inusitatæ crudelitatis machina, ferrea est. Schauingeri filiam ex inuentoris fortasse nomine appellant. ea circulo ferreo constat crassitudinis ingentis: qui cardinatus à medio, bifariam in duas lunatas quasi chelas aperitur. sæuis earum amplexibus noxium ita includunt, vt cruribus ad femora, femoribus ad ventrem adpressis, trifariam complicent, atque in informem coire globum cogant. tum coniunctis circuli, compressisque vtrinque cornibus, comprehensum corpus pene elidunt. Plerisque certe dirupta pectoris crate, copiosus è naribus, faucibusque sanguis effunditur. Neque vllum diuturnius apud eos tormentum. Nam alijs ipsa sæpe tortorum defatigatio finem affert. Hoc vbi semel validissima obseruatum fibula in suum orbem coactum est; sponte sua torquere, misero in amplexu, reum pergit. His, præter cetera machinis, malefici olim, ac parricidæ ab incorrupta Anglia vexati. nunc nulli frequentius, ac iucundius, quam Ca-

tholi-

tholicorum ſanguini, & his & alijs ſæuitiæ inſtrumentis illuditur: magno irati profecto numinis argumento, quod tandiu impune licuit, licetque. Sed nos Campianum iam ad tormenta vocatum reuiſamus. Is vbi magiſtratuum iuſſu accitus ad ianuam horrendi ſpecus venit; ſubmiſſo magna cum pietatis intimæ ſignificatione genu, ſupplicaſſe Deo dicitur attentiſſime, vti ea ſibi in ſæua lucta volens, propitiusque adeſſet. quod inſtitutum deinceps cum iterum, tertioque repetitis quæſtionum acerbitatibus laceratus eſt, conſtanter tenuit. Exitiale antrum ingreſſus, ſalutare ſacroſanctæ crucis ſignum impreſſit pectori. dum corripitur, dum veſtis exuitur, dum alligatur, ſanctiſſima IESV, ac MARIÆ nomina ſuauiter ingeminat. Poſteaquam diſtentis ſæua vi artubus gliſcere dolor cœpit, pro eiulatu, ac gemitu, colloquia cum Deo, vocesque plenæ pietatis audiri ex ſacro illo ore cœptæ. Tortores interdum, non raro hoſtes alios ſalutis ſuæ ita cõpellabat, vt condonare ſe illis tantam ſæuitiam, iniurias ignoſcere in Chriſti gratiam, ipſis etiam mirantibus teſtaretur. Vrgentibus interim quæſtionum magiſtris ad alias interrogationes inuictum ſilentium tenuit: vbi ad illam ventum eſt, cuius ope libellum ſcripſiſſet, cuius typis impreſſum, quo euulgante publicaſſet, cui legendum tranſmiſiſſet; vnum hoc reſpondit, libri capita Ri-

ardsono, libellum ipsum Thomæ Poundo à se transmissa. Hos ideo nominare inter tormenta non est veritus, quod illis minime periculosum ijs de rebus indicium suum fore iudicauerat. Quippe illi, non generis claritate magis, quam Christi confessione nobiles, iam tum religionis causa in vinculis ita detinebantur, vt & fauisse Catholicis gloriosi commilitones præseferrent, & libros Catholicos palam lectitare, ne tum quidem, dum carcere clauderentur, omitterent, & Campiani amorem, ac reuerentiam sponte omnibus officijs faterentur. Neque aliter, quam Campianus iudicarat, euenit. Ea confessione nihil præterea de Ricardsono, & Poundo, quam quod, vterque palam de se ferebat, cognitum, nullum fecit ad conditionem, vtriusque, in vtramuis partem, momentum.

CAPVT XLIV.

Falsos de se rumores, & admota iterum, ac tertio tormenta superat.

NOn omnes, quæ inferri equuleo possunt, acerbitates, prima hac, quam exequuti sumus, quæstione, hæretici iudices effudere. spes erat mitiori tormento, virum qua viribus, & corporis habitudine tenuiorem,

nuiorem, qua minime ferocem animo, expugnandi. Verum vbi nihilo admotis fidiculis magis nunc, quam oſtentatis, oblatiſque prius infulis profeciſſe ſe animaduertunt; iras omnes, rabiemque vltimam promere decernunt. ludos illos fuiſſe, & clementiæ iocantis leues pulſus, aduocandam ſcilicet iuſtam ſeueritatem, neruosque iratæ iuſtitiæ intendendos. Iterari primum omnium equuleum, quanta maxima conniti poſſent tortores vi, placuit. Iniquiſſimo conſilio æquitatis vmbram parant. Quæſitū prius de paruis criminibus, nunc Maieſtatis inſtitui quæſtiones. Suboluiſſe ſenatui coniurationem in regium caput Romæ, Rhemisque factam. Sandero res in Hibernia miſcenti pecuniam ſubmiſſam. Sollicitatos ad cædem Reginæ factioſos. Regni aditum exteris Regibus paratum. ſceleribus his affinem, anteſignanum Papiſtici agminis, Edmundum perhiberi. Interea luſæ primo congreſſu operæ ne puderet; prodita eſſe à Campiano dum torqueretur arcana ſua omnia, ſuorumque, etiam editis ea de re libellis, palam mentiuntur. quorum conſuetudine vſus, quorum domo exceptus, cuius pecunia, cuius ope ſubleuatus ſit, faſſum eſſe. ne myſterijs quidem vulgandis abſtinuiſſe: quorum, cuiusque generis, crimina arcanam ob expiationem cognouiſſet, non habuiſſe in occulto. Hæc quamquam diligenti mendacio diſſeminata, vix
apud

apud vllum inuenere initio fidem. verum vbi concionatorum voce, asseueratione nobiliũ, iureiurando magistratuum firmabantur; si non aliud, certe ad fluctuantis animi dubitationem etiam apud Catholicos, valuerant. Postea vero quam è prima nobilitate homines Campiano coniunctissimi, Baro Vauxius, Thomas Tressamius, Gulielmus Catesbeius aurati equites in vincula coniecti sunt: constansque rumor indicio eius afflictos tulit: tum vero trepidatio ingens Catholicis iniecta, multis palam inter amicos, notosque conquerentibus, nullum iam esse fidei locum. vbi enim futurum, si in Campiani pectore non fuisset? salutem omnium proditam. exolutæ gratiæ loco periculum creatum innocentibus. Quidam certe magnæ auctoritatis inter Catholicos vir, multis audientibus dolenter confirmauit, certo comperisse à senatore primario, Campianum inter tormenta nihil, quo de interrogaretur, siluisse: quamquam non multo post idem suæ leuitatis, in re tanta hominibus mendacissimis credenda, publicus incusator, à sanctissimi viri nomine labem imprudenter aspersam fortiter abstersit. Non ita felicia cum altero magnæ nobilitatis viro mendacia senatorum fuere. Is propter Catholicæ religionis sanctitatem regijs vehementer suspectus, amicitiæ specie à senatore seductus docetur, multa, ac grauia de ipso Campianum prodidisse. neque ab-

ſtinuit explicatiore mendacio improbus ſe-nator. multa addit nominatim facinora, quæ ab ipſo patrata narraſſet Edmundus. Iuuit adeo importuna impudentia hominem. Qui vniuerſim de Campiani imbecillitate, ſuoque periculo mentienti, nonnihil fortaſſe credidiſſet; vbi ea audijt de ſe dici, quæ ne cogitare quidem, vnquam ſuſtineret; fidem monitori abrogans, vultus conſtantia, & hilaritate, periculum ſibi, ab notante motus oris omnes, ac geſtus paratum, facile diſcuſſit. Nemo omnium grauius aduerſam de Campiano famam, quam Thomas Poundus, diuturno carcere clariſſimus confeſſor, tulit. Multis ille ſecum fruſtra agitatis, ipſum Cāpiani cuſtodem auro aggreditur; litteras vti ad eum ſuas clam deferat. earum huiuſmodi erat argumentum. Poſteaquam multa de laude Chriſtianæ fortitudinis prædicaſſet, rogabat Edmundum, vt ſuæ dignitatis, cauſæque quam ſuſtinebat memor, *reſpiciens ad auctorem fidei, & conſummatorem* IESVM dignos ſe, dignos tanto Imperatore, dignos cauſa ſpiritus ſumeret. Animi ſui dolorem ingenue fateri, quod iniquo rumore dilacerari ſenſiſſet Edmundum, quaſi imbecillitate ſubigente multa prodidiſſet, quæ taceri è re Chriſtiana fuerat. Simul particulatim, quæ ferebantur eius generis auditu fœda narrabat. Tandem obſecrabat, ſibi vt per Deum veritatis auctorem ingenue aperiret, ecquid tan-

dem

dem veri, falſiue eo tam conſtanti rumore ferretur. Has litteras, pollicenti integram fidem cuſtodi, aurumque mercedis loco recipienti, tradit. Sed cuius ſordida auaritia fuerat, eius vel nulla, vel bis venalis fides fuit. Acceptas litteras arcis præfecto tradit, ille ſenatoribus. Perlectas, an ſenatus, an Hoptoni tantum voluntate, abdita conſiliorum ex reſponſo rimaturi, veluti intactas Edmundo bonus cuſtos, clam tradit. Nec diſtulit reſponſum Edmundus. dolere ſe grauiter adeo indigne, ſua cauſa, Catholicorum conſtantiam tentari. Se memorem ſpectatoris, hortatoriſque, non ſolum Imperatoris ſui IESV vixiſſe adhuc, & viuere, neque vllam acerbitatem cruciatuum effecturam, vt quicquam proderet, quod Eccleſiæ Dei detrimento foret. Breue reſponſum ijſdem pollicitationibus acceptum, eadem fide cuſtos retulit ad præfectum, à præfecto ſenator quidam allatum, in ſenatu recitat. Viſa eſt ad præuelandam, æquitatis ſpecie, ſæuitiam, ſignificationis aptiſſimæ, ſententia. ſignificari enim poſſe aiebant egregij coniectores, ſilentium promitti pernicioſis Pontificum, Regumque exterorum, aduerſus Reginam, regnumque conſilijs, machinisque: cum tamen ſiue ex interrogantis, ſiue ex reſpondentis mente, verbiſque, luce clarius, conſtaret, de eo tantũ ſilentio agi, quod ſacroſancta Catholicę Eccleſię myſteria, Confeſſionis præſertim, expoſcunt:

& si quid præterea ob religionis causā aliquem priuatim attingeret. Sed nimirum perinde res accipiuntur, vel accipi simulantur ab improbis, vt ira, vel odium iubet. Ea interpretatio furori, iam pridem in Campianum armato, speciosum titulum appinxit. Occultasse aliquid sceleratum Papistam inter tormenta, quod ad euertendam Rempublicam pertineret. eo vergere subdola, & in vtramque pendentia partem obscura epistolarum verba conclamant. Igitur admouendas quam acerbissimas quæstiones, exprimenda cæca consilia, voces dubias equulei viribus replicandas. Ita ipsi è senatu domum, Campianus è carcere, ad equuleum redeunt. Ibi, quasi ad colligendas tortorum vires cessatum; paucis ijs diebus, à tormentis esset; omnes inhumanæ feritatis atrocitates ad insontē cruciandum exercitæ. Biduum distractus martyr, tantumq; non continuatis etiā noctibus, confectum pene, & dissolutum corpusculum innocentis est, tanta sæuitia, vt necem sibi crediderit Edmundus inter cruciatus illos esse à regijs decretam. Primo certe post tormenta die, fassum custodi ferunt, præludia mortis suæ in ijs se doloribus agnouisse. At ipse interrito, inter propinquæ mortis nuncios letales dolorū laniatus, vultu, ac voce intrepida, dum torqueretur, iacebat, ac dum insanis quæsitorum vocibus antrum illud, gemitibusque connitentium summa vi tortorum,

torum, resonaret: nihil præter IESVM, & MARIAM, quæ sanctissima nomina identidem vel inclamabat, vel immurmurabat, sacrum illud os prolocutũ est. Hæc constans, ac perpetua vox eius fuit, nisi cum perfidiæ crimen, ex falsa interceptæ epistolæ interpretatione, tangeretur. Huc quoties redibant quæsitores, palam, sanctéque Deũ, ac cælites testabatur, nihil ad se tantum scelus pertinere, neque litteris suis quicquam quod ad regni administrationem faceret, significatum, id tantum voluisse se, nulla carnificina subigi posse, vti periculum amicis crearet, quorum domo, ac liberalitate vsus erat; nullis mortibus cogi, vt quæ peccata, rite confitentium, sacrosancta confessione accepisset, cuiquam hominum proderet. Quæ quoniam ad bonum, ac dignitatem Catholicæ Ecclesiæ pertinerent, si tacerentur; contra si euulgarentur, in ingens detrimentum, ac malum possent erumpere: propterea quod sanctitas mysteriorum læderetur, & ab salutari Pœnitentiæ lauacro homines deterrerentur: ea de causa scriptum breui à se, nihil in tormentis expressum, nihil exprimendum, quo Ecclesia lædi posset. Id ita esse, non modo iureiurando, quod iam conceperat, sed omnium perpessione tormentorum probaturum se. Hæc elocutus; intrepidus toto biduo, immo, quod ex vultus, orisque conformatione conijci poterat, hilaris etiam, pendere perseuerauit.

O Et,

Et, nisi quod supponenti, dissolutis iam lumbis saxum rude, carnifici placidissime gratias egit; constantissimum ad alia omnia silentium Dei laudatrix lingua retinuit. Vicit ergo martyris patientia vires carnificum, furorem magistratus, aduersæ famæ iniquitatem, latratus mentientium concionatorum. Ipsi rei admiratione defixi sunt, qui torquendo innoxio præfuerant, quique lassati animo, non minus quam viribus, pene defecerant, tortores. notatique redeuntium à quæstione vultus: cum stuporem insolitæ patientiæ, qui torserant; lenem, ac placidam in obtrito corpore tranquillitatem, qui tortus fuerat, præferrent: in nullos magis conuenire dixisses Cyprianæum vetus illud: *Steterunt torti tortoribus fortiores*. Notatæ & voces à vultu non discrepantes, quibus è diuerso idem inuicti pectoris testimonium martyri datum est. Atque hinc demum, conuerso paulatim vulgi murmure, secundissima omnia, de constantia Edmundi, fama distulit; momentoque difflata inuidiæ tempestas; cum suam passim credulitatem omnes, Catholici præsertim, faterentur dolenter, & damnarent.

CAPVT XLV.

Edmundi Campiani de ſuis tormentis ioci.

OPeræ pretium eſt pauca quædam perſtringere victoris illius animi, ingentiſque pectoris argumenta, vt quibus Edmundus iocis, quam pacata, hilariq́ue mente, immanes dolores non modo exceperit, ſed eluſerit etiam, cognoſcant ætates conſequentes. Iacebat omni non modo motus, ſed etiam ſenſus officio deſtitutus Edmundus poſtridie eius diei, qui poſtremus tormentorum fuit. Inuiſit de more cuſtos ſemiuiuum: quæritq́ue quis tandem manuum, pedumq́ue ſenſus illi eſſet? Non malus ſane, reſpondet Campianus; quippe qui nullum habebat illa parte corporis ſenſum. Idem multis audientibus cum plane immobilis, luxatis artubus, ſtupentibus neruis omnibus iaceret, ea qua ſolebat hilaritate: Videtis nunc tandem, inquit, amici iacentem, quod ſæpe alias audiſtis, elephantem, belluam ſcilicet, quæ quia compactis eſt, integriſque tibijs, ruinam habet, ſi conciderit, irreparabilem. Poſtea vero quam miteſcere dolor, ſenſuſque redire cœpit; adeo vt pani ſuſtinendo iunctæ manus ſufficerent: nouo ioco: Ecquam vidiſtis, ſubridens inquit, elegantiorem amici ſimiam?

tantum, malis suis maior, cælestis animus eminebat. At Odoënus Hoptonus, regij senatus instinctu, an sua sponte parum constat; posteaquam constantia Campiani cruciatibus illustrior, fama conspectior facta est; ad blanditias pari vbique infelicitate reuertit. Mira ineptæ artis leuitate celebrare summis laudibus Campianum. Nihil tale Angliam hactenus tulisse, palam, etiam Campiano infitio, affirmare. In vnum illum omnia ornamenta animi congesta. Cælum ipsum suas arculas excussisse, pigmenta omnia illi Heroi effingendo, illi exemplo hominum efformando consumpsisse. Quæ vanissima ambitione, fœdisque orationis admirabilitatibus deformia, ipse totius actionis, ac vocis ineptijs polluebat. nec deerant qui mirarentur adeo ridiculum tam graui in argumento laudatorem. Excruciatum secretioribus non vnius generis pœnis post equuleum Edmundum sunt qui affirment, auctoresque habent eos, qui prima de Campiani nece edidere, paucis post eius excessum diebus, commentaria. mihi res pro crudelitate tortorum vero similis, quia incerta est, pro vera afferenda non fuit. neque tamen fides veteri illi rerum gestarum breuiario infirmanda: itaque eam in medio, vti acceperam, relinquo.

CAPVT XLVI.

Oblatas iniquissimis conditionibus de religione disceptationes feliciter aggreditur.

VBi, machinis superior omnibus, Campiani virtus iteratos dolores pariter, ac blandimenta fregit; ne nimium Catholicum ea re nomen cresceret; si quid ex laude perspectæ fortitudinis accesserat, probro inscientiæ demere hæreticus tentauit. Obtritum sæuo laniatu Edmundi corpus, conuulsi sua sede artus, redeuntes paulatim cum sensu morsus dolorum, iidemque ex interuallo atrocissimi; persuasere hominibus rem vulgari æstimatione metientibus, in partem calamitatis animum etiam martyris tractum esse. Et credi sane poterat, afflictum tot ærumnis hominem non plus mente valere, quam corpore. neque fieri posse, quin emarcescentibus in membris flos mentis quamuis viuidæ langueret. Multum etiam fiduciæ improbis ostendebat procul habitus à libris, ac sacra lectione tamdiu ærumnosi animus. quippe desuetis, etiam in summo otio, bonæ artes dilabuntur. His illi argumentis in eam inducti sunt mentem, vt crederent, si disputationibus Edmundū lacesserent, in campumque eruditæ concertationis prouocarent; fa-

cilem futuram; promptamque victoriam: Infracta inde eruditionis per tot rerum iniquitates gloria; palmam expugnatæ religionis, non vi, aut ferro, sed ratione, atque iure videri posse hæreticis cessisse. Pugnam porro detrectari ab Edmundo non posse, qui prior, & epistola, quam initio ad consiliarios, & libello, quem deinde ad Academicos dederat, aduersarios prouocasset. Hoc à regijs ortum, ad cænosæ religionis Ministros fluxerit consilium, an contra, non comperio, neque temere interpretor, neque porro ad rei summam magni id refert. Id sane nosse permagni refert, communi id omnium sententia constitutum, omniũ artibus, opibusque promotum, vt quo maxime telo communis eorum omnium causa iugulata est, id ipsi omnes maxime, iusto Dei, fraudibus illudentis consilio, expetijsse videantur. Ea re senatus decreto constabilita: dies pridie Kalendarũ Septembrium: locus, templum intra Londinensem arcem sitũ disceptationi designantur. Inde ad deligendos, qui pugnam pro hæresi subirent, conuersæ hostis curæ. Et quamquam fractum Campiani ingeniũ cruciatibus corporis credebant; semianimis tamen illa, quæ reliqua apparebat, magnæ animæ scintilla terrori hostibus fuit. Ea causa duos ex præcipuis Caluinianæ factionis signiferis certamini destinant: Nouellum, qui suppositiτij Cleri ad Sancti Pauli Londinensis

Deca-

Decanus ea tempeſtate dicebatur; & Præpoſitum Ætonienſem Dayum. Hos inſignia ea ætate hæreticæ eruditionis nomina fuiſſe reperi, non alia re magis quam iactantis inſcitiæ ſtolida arrogantia memorandos. Iam ad omnes, præterquam ad eos quorum intererat, futuræ propediem concertationis manauerat fama. Iamque non Londinum modo, ſed totum prope regnum tanti ſpectaculi expectatio commouerat. Locus, ac tempus futuri certaminis non occulta. de reliquis conditionibus ſuſpicio maior, quam notitia; cum interim Campianum, ſociosque, tam grandi pugnæ deſtinatos, ne quis eius rei rumor afflaret, diligentiſſime caueretur. Neque niſi imminentis iam in pauciſſimos ſiue dies, ſiue horas (nam hoc quoque incertum eſt) dimicationis certior Campianus, alijque, qui ad eam vocabantur, facti. Ac ne tunc quidē de argumento diſputationis edocti: neque vllius generis permiſſus liber. adeo æquis conditionibus in campum exire hæreſis meditabatur. Non cecidere, quamquam tantas inter iniquitates, animis Chriſti milites. attenta potius ad Deum prece, quod lectioni deerat compenſantes, conditionem accipiunt, animumque diſcrimini parant. Eius vbi dies aduenit: euocati Campianus, Sheruinus, & Boſgrauius, alijque ex vinctis Catholicis complures, ad hæreticæ potius ſpeciem confidentiæ, quod tam multos aduer-

ſarios in certamen vocarent, quam ad noſtræ cauſæ firmamentum. nam primum omnium conditiones diſputationis iniquiſſimæ promulgatæ, ſeuere ſilentium omnibus, prætterquam Campiano, & Sheruino; imperabant. Et his etiam libertas orationis circumſcripta. ſolū enim obiecta diluendi, non contra obijciendi poteſtas permittebatur. Has leges martyribus, antequam ad diſputationis educerentur locum, indixere, neutiquam repugnantibus, quod tam bona in cauſa vires nemini, duce Deo, deeſſe poſſe confiderent. Inde in templum educti vix aditum, premente multitudine, quæ locum ante ceperat, inuenere. Notauere plerique non niſi Dei multos ſaluos fieri volentis nutu factum eſſe; vti loco adeo ſuſpicioſo, adeo periculoſum ad ſpectaculum, tanta promiſcui auditoris multitudo admitteretur. Vix enim fidem inueniat, quam multis conuentus ille ſaluti fuerit; dum quiſque ſuis oculis, auribusque in rem præſentem veniens, ſeu ſpectando vultu, ſiue audienda orationē martyrum, quantum in Eccleſia Catholica firmitatis eſſet, exiguo quaſi ex veſtigio intelligunt. Ita Deus vanam hæreticæ fiduciæ oſtentationē in plurimorum bonum vertit. Neque id fefellit hæreticos. à reliquorum dierum diſceptationibus prohibito, vt ſuo loco oſtendam, ſpectatore, occaſionem transfugiendi ad Catholicos præciderunt. Templum martyres hunc

maxime in modum dispositum inuenere. Duplex hinc, atque hinc ad templi caput ordo sedium instruebatur. Et alterum quidem latus sellas habebat insignes duas, Dayo, & Nouello verbi ducibus ipsis plenas. Iis nobili instrata cultu mensa ingentem librorum cumulum sustinens obijciebatur é proximo. post hos ignobiliora sedilia leuioris armaturæ Ministellos complures longo ordine recipiebant. Hi omnes Campiani libellum, qui decem rationes continet, præferebant manu. At altero ex latere eminentiores aliæ, cultuque longe magnificentiore spectabantur. Hæ procerum erant, ac nobilitatis, quæ spectando, audiendoque numerosa confluxerat. Inter hos truci vultu, toruisque oculis visebatur Odoënus Hoptonus, qui moræ impatiens, ac modo huius, modo illius segnitiem increpitans certamen accendebat. Inter nobilium virorum, Ministrorumque sedes, pari pene ab vtrisque spatio, mensa alia erat cum omni librariorum instrumento. mensæ Ciarkus, & VVhitakerus, mali potius, quam magni nominis hæretici assidebant, quasi disceptatorum verba diligenter excepturi, & in publicas tabulas relaturi. at medio ferme templi spatio exigua scabella complura iungebantur, quæ armati circumstabant. Post armatos multitudo, quæ pro loci amplitudine, vndique circumfusa spatium omne compleuerat. Fuitque in his, qui

Ca-

Catholicæ ſtudio pietatis, furtim, quæ vtrinque à diſceptantibus tum hoc primo, tum reliquis conſequentibus diebus iactata ſunt, excipere, breuique commentario inter tumultum tradere auſus eſt. Idque fecit, multo ſane maiore cum fide, quam qui ei muneri deſtinati hæretici duo, fauorem partium veritatis integritati prætulerunt. Eius ego Catholici hominis commentarium Romæ dum hæc ſcriberem adeptus; in magnis Dei beneficijs numeraui. Eum enim Anglice conſcriptum, & in Anglico Collegio ſeruatum, Anglus amicus latine redditum beneuolentiſſime vtendum dedit. eius ego commentarij fidem tota hac concertatione tradenda ſequar. Medio in theatro exiguis, quæ poſtremo loco diximus, ſcabellis Campianus, Sheruinus, ceterique ſocij iuſſu magiſtratuū conſedere. Facile dictu non eſt, quam cito omnium in ſe oculos Campianus conuerterit. cruciatuum toleratorum rumor, fabulæ de illo tot, tam variæ in vulgus diſſipatæ, vetus viri veneratio, ingens per aduerſa nomen, cupidum ſpectandi populum ad ſe trahebant. Potiſſima cura fuit explorandi, quemnam animi vigorem, quem ſtatum mentis, quem colorem, motumque corporis recens, ex illa pene carnificina toties repetita, in arenam iam prope ludicram afferret. vicit intuentium expectationem alacritas martyris. adeo in præmortuo quam-

quam

quam corpore ; vigentis animi quaſi flos quidam vernare videbatur.

CAPVT XLVII.

Nouellus in Campianum inuehitur. reſpondet Campianus. ab hæreticis Lutherus falſo defenditur.

VBi conſedere martyres, murmurque multitudinis ſedatum eſt: Nouellus, cuius in ea diſputatione primæ erant; vultu ad grauitatem compoſito, magna omnium expectatione orationem artificioſe comptam, diuque meditatam, patria lingua, longo exordio, ingreditur. Docet primo conueniendi cauſam nullam fuiſſe aliam, niſi veritatis explorandæ in cauſa religionis cupiditatem. Adijcit deinde eam quidem veritatem ſibi, Angliſque non improbis iam diu exploratam eſſe: quare nihil cauſæ fuiſſe cur tunc, quaſi de integro, tanto apparatu, perinde ac ſi ignota res eſſet, quæreretur; niſi paucorum pertinaciam luce palam reuinci, retundique ſuperbiam è republica eſſet. Hæc vbi dixit; repente ad contumelias, ſubito quodam æſtu orationis, elatus: Nam quanta, inquit, Campiane, impudentiſſimæ ſu- „
perbiæ,

» perbiæ, vt leuiſſime dicam, audacia fuit, qua
» tu nouus Golias, publicum ad certamen om-
» nes Angliæ Theologos, quantuſcumque tan-
» dem, certe vir vnus adeo glorioſe prouoca-
» ſti? Credo equidem exiſtimaſſe te non vltra
» ſuperbæ iactationis minas, vanamque ver-
» borum ferociam prouocationem iſtam pro-
» greſſuram. Latebræ ſcilicet impunitatem oc-
» culti latratus promittebant. Sed vltor nimi-
» rum procacis impudentiæ Deus eſt. Ille te
» publici fugitantem, ac diei, in apertum, lu-
» cemque traxit, vbi periculum glorioſi pro-
» miſſi faciendum etiam nolenti eſt. Habes
» iam certamini paratos non Anglos omnes
» Theologos, quorum profecto tu ne aſpectum
» quidē ferre glorioſe miles poſſes: ſed ex om-
» nibus vnum, alterumque. nec te victoriæ de
» hoc etiam vno partæ, vti arbitror, pœnite-
» bit. Neque vero tibi defugiendi diſcriminis
» eum aditum circumſpectes, quod imparatus
» ad pugnam aduocaris. quamquam enim, ex
» quo publicatis egregijs libellis, quibus omne
» noſtrorum hominum genus ad certamen de
» religione conciebas; quaſi ſigno ad te inua-
» dendum dato, publici iuris diſceptationem
» tecum huiuſmodi feciſti: meum tamen eſt ef-
» fugia omnia, ne veritas detrimenti quicquam
» capiat, præcludere. itaque de ijs tantum ſen-
» tentijs quas tuo hoc præclaro volumine, tam
» impotenter minax euomuiſti, hodierna luce
» quærendum erit: quibus tuendis imparatum

eſſe

esse te non magis conuenit auctorem, quam suis pignoribus agnoscendis inexercitatum esse, rudemque patrem. Et vero tu nihil à nobis humanitatis merebare, quos adeo impudenti mendacio illiberalissime lacerasti. Nam quæ te furiæ ad nostram crudelitatem aduersus tuæ sectæ homines accusandam cōpulere? neque venit in mentem potuisse, & absenti semper, & præsenti olim tibi obijci, pro vno; vti vos appellatis, Catholico à Protestantibus male accepto, centurias integras Protestantium à Catholicis, mitissimis scilicet hominibus, barbare flammis exustas? Illud vero non nisi mendacis impudentiæ infelix genius persuasit vt scriberes: Lutherum Apostoli Iacobi epistolam non contempsisse modo, sed conuitijs etiam luculentis, virulentisque proscidisse. Nam hæc opinor verba tua sunt. Rabidus hic repente ex Campiani libello verba recitat eiusmodi: *Luthero quid causæ fuit, vt epistolam Iacobi contentiosam, tumidam, aridam, stramineam flagitiosus apostata nominaret, & indignam spiritu censeret Apostolico?* His è libello verbis ita recitatis, vt furor dicentis emineret, continuo substitit; siue quia vocem ira præcluserat; siue quia ex arte quasi nouum conuiciandi exordium meditabatur; siue quia finem dicendi ex improuiso fecerat. Campianus certe perorasse Nouellum arbitratus, placida tū fronte, tum voce ad eum conuersus, in hunc maxime mo-

„ dum respondisse fertur. Quod primo obie-
„ ctum mihi loco crimen adeo facilem habet,
„ apertamque defensionem, vir erudite, causæ
„ quam defendendam suscepi felicitati tribuo.
„ Anglos omnes Theologos quod in arenam
„ publicæ disputationis prouocaui, quasi nul-
„ la euidente factum causa vehementius exagi-
„ tasti. Et eius tamen iustissimæ confidentiæ
„ causas, non vnam, sed ipsas decem attuli pri-
„ dem, ac publicaui; quas cum manu gestes,
„ recitesque in loco, tibi, tuisque mente non
„ excidisse satis apparet. Eæ si impudentiæ cri-
„ men non diluunt, quod obijcere hoc dispu-
„ tationis exordio placuit, nulla mea oratio,
„ nullum silentium diluet. Ceterum ne omni-
„ no nihil primo huic crimini respondere vo-
„ luisse me, vitio scilicet superbiæ, arrogan-
„ tiæque vertatis: ita accipe. Semper equi-
„ dem in ea mente Nouelle fui, vt confiden-
„ tem veritatem esse ducerem, parentemque
„ modestæ quidem, sed minime timentis liber-
„ tatis. nempe nobilis virago veritas est, pa-
„ lam conspici non timet. lateat mendacium
„ quod tenebris alitur, viuitque; simulac in
„ apertum prodit, extinguitur. Quid ergo
„ mirum si veritatem propugnaturus Anglos
„ omnes in publicum certamen deuocaui?
„ Equidem cum id faciebam, cum arenam
„ hanc, hoc theatrum postulabam, non vnum
„ me vestris Theologis omnibus, sed meam fi-
„ dem, ac religionem, quæ Catholica, hoc est,

omnium,

omnium, vbique gentium est, vestræ, quæ „ inde diuulsa priuatæ sectæ nomen habet, op- „ ponebam. neque meas tunc ego, sed causæ „ vires meæ in consilio habui, cum adeo confi- „ denter campum, arenam, & solem aduersus „ vestra agmina depoposci. Non piget autem „ verbo hic iterare, quod scripsi olim, edidi- „ que. Ego si fretus (hæc enim, arbitror, mea „ verba sunt ad Oxonienses Academicos) ego „ inquam, si fretus ingenio, litteris, arte, le- „ ctione, memoria, peritissimum quemque „ aduersarium prouocaui, fui vanissimus, & „ superbissimus: qui neque me, neque illos in- „ spexerim. sin causam intuitus, existimaui sa- „ tis me valentem esse, qui docerem, hunc so- „ lem meridie lucere, debetis mihi feruorem „ istum concedere, quem honor IESV Christi „ regis mei, & inuicta veritas imperarunt. „ Respondi quod satis est, arbitror, impuden- „ tiæ: nunc ad timorem venio, quo vereri te „ dicis, ne certamen quod absens antea spon- „ te obtuli, oblatum nunc deuitem præsens. „ quod sane frustra timuisse te exitus osten- „ det. Quamquam enim non sum adeo hebes, „ quin conditionis iniquitatem videam: non „ committam tamen, vt maius credam me in „ mea imbecillitate incommodum, quam in „ causæ firmitate præsidium inuenisse. Tu vi- „ de, ne dum nimis argute de medicata condi- „ tionum iniquitate disserere videri vis, minus „ vere disseruisse videare. Nam quia edita so- „

lum

„ lum à me religionis capita in quæstionem vo-
„ cas,non posse censeri bellum imparato infer-
„ ri persuadere nobis niteris. At ego, contra,
„ hoc perinde esse aio, ac si ad pugnam quis
„ certo loco ineundam prouocatus, locum qui-
„ dem non defugiat, sed arma subtrahat tamen
„ prouocanti. Capita quæ edidi, loca sunt
„ certaminis, Nouelle; arma vero libri, & me-
„ ditatio. cum ergo rebus omnibus me desti-
„ tutum ad ea vocas capita, quæ iactas; locum
„ tu quidem à me certamini destinatum acci-
„ pis, arma subtrahis. Et vero vbi mihi libro-
„ rum vsus, vel ante hanc horam, vel hoc ipso
„ tempore, quo ne istos quidem, quos allatos
„ video, accersendi, inspiciundique, nisi cum
„ vobis placuerit, potestas erit? Et vero quam-
„ uis ærumnis pene confectus, vix risum hoc
„ loco tenui cum æquitatem conditionis sua-
„ debas mihi. nisi tu credis tantumdem me
„ equuleo tertium tolerando, ac vos libris per-
„ uolutandis parari disceptationi litterariæ po-
„ tuisse. At ego liberam feci mei, cum litteras
„ ad senatum dedi, cuiuis aggrediendi, potesta-
„ tem: possem negare. nam voluntatem sena-
„ tus ea in re tantum tentaui, prouocaui nemi-
„ nem. Sed fac prouocasse, an tu reris vo-
„ luisse tunc me laceratum tormentis, luxato
„ corpore, libris destitutum, de religione cer-
„ tare? Certatur de vita, Nouelle, vix retine-
„ tur spiritus. effugit anima inter cruciatus
„ istos: nedum libeat interim esse sapienti. Sed

hæc

hæc vti præfatus sum, veritati testandæ, non ›› impediendæ paratæ iam luctæ dicta volo. Imperator Christus vires ipse mihi, animumque ›› suppeditat: neque vereor quin, si mortuos ›› ad vitam aliquando reuocauit, semianimem ›› etiam ad certamen excitare hodierna luce possit. Hæc de disputationum conditione. nunc ›› breui, quæ de crudelitate tetigisti nostrorum ›› hominum, percurram. Enimuero, vt video, ›› existimasti, Nouelle, de crudelitate vestrorum in nos hominum satis te recriminando ›› respondisse. vt enim falso sæuitiæ à me vos ›› accusatos esse demonstrares, sæuiores esse Catholicos disputasti. At id secus est. non enim ›› ego vestram sæuitiam cum aliena composui, ›› cum de vestra conquestus sum. Et si id quæritur; viuunt etiam num qui gladiũ regnantibus Catholicis vibrauere in vestros, flammasque incendere. hos arbitror, ea de re consulas, cumque ijs transigas, siquid hæres. ›› quamquam si mihi tormentorum vestrorum ›› lanienas experto dicere aliquid in causa licet; ›› nunquam crediderim tartaream istam equulei machinam aduersus vestræ religionis sectatores; non tanta certe, quanta nunc à vobis furit, vi, atque immanitate, exerceri consuesse: quod ego tormentum non vna morte dirius existimo. Nondũ postremam hanc vocem plane expresserat, cum irridentem, despectantemque, facie, ac sono vocis, imitatus Hoptonus; Næ tu, inquit, nimium ››

„ delicatus Iesuita es; Campiane; qui leuissi-
„ me distentus, placidæ, quam passus es, mol-
„ lique tantummodo inter leues quæstiones
„ conuulsioni, formidabile tormenti nomen
„ indideris. risum scilicet homo festiuus in re
„ lugubri conciebat. verum, & ille in sæuitia
„ solum felix, infelicissime iocabatur, & secu-
„ ta Campiani vox misericordiam incendit.
„ Bene habet, vir spectande, inquit; attamen
„ tota de equulei vi certius, qui pependit, quã
„ qui spectauit, testimonium, arbitror, dicet.
„ Sed meos ego cruciatus non queror, cum
„ equulei tormentũ ipsa terribilius morte pro-
„ nuncio. communem deploro Catholicorum
„ ærumnam, qui ea quæstione latronum ritu,
„ ac sicariorum quotidie dilacerantur. Ea vo-
„ ce quia commotam concionem apparebat, è
„ nobilium cœtu alius, An tu impune, inquit,
„ Campiane, tantæ multitudini illuseris, vt
„ pro religione passus ea supplicia videare, quæ
„ longe grauissimis tuis sceleribus debita exo-
„ luisti? an occultum reris, quod quamuis ob-
„ stinate inter quæstiones suppresseris, satis li-
„ quet patriæ tamen, ac iudicibus? non te, Cã-
„ piane, tua qualiscumque religio, sed scele-
„ ratæ in Rempublicam conspirationes ad tor-
„ menta rapuere. Vtilis fuit Campiani causæ,
ac sociorum, ferox hominis mendacium:
Collegit illico, qui supererant afflicto in cor-
pore, animos veritatis amor, summoque
ardore inuictæ mentis, quæ eminebat ex ocu-

lis.

lis, assurgens, Si quis, inquit, religione se- »
posita, cuiusuis me culpæ insimulare ausus »
erit: quin extrema omnia in me edatis ve- »
stræ sæuitiæ exempla, non deprecor. Hæc inflammato vultu cum dixisset, silentium ingens etiam à proceribus, totoque conuentu consecutum, veritatis testimonium non obscurum dedit. ergo posteaquam nemo contradicebat; exponere subinde Campianus aggreditur, se nulla alia de causa dire tortum, nisi quod à quibus exceptus hospitio, quorum ope subleuatus, quos Sacramentis Catholico ritu expiasset, quibuscum de religione commercium habuisset, supprimere perseueraret. Tantaque fuit vis recentis veritatis, vt inter tot mendacio promptos hostes, qui refelleret Campiani dicta, inuentus sit nemo. Hunc in modum præludium futuræ disputationis institutum est. clausit altercationem redintegrata de Luthero fœde proscisso vetus Nouelli querimonia. eam fœdissimis aculeatam conuicijs Nouellus ita conclusit, vt acceptum Lutheri volumen, quod maxime suspectum erat, aperiret, conceptoque iureiurando affirmaret, nullum in sacram Iacobi epistolam, quale Campianus mentitus esset conuicium, toto illo volumine contineri. neque vllum Londini extare eius operis exemplum, quod non eadem ratione, impudens Campiani mendacium testaretur. Hæc vbi multis, amplisque verbis ad ambitionem

" propius egit: ita latine magna voce perora- " uit, Ergo impudentissime mentiris Cam- " piane. Hæc tanto verborum apparatu, pompaque iacta contumelia omnes magis, quam in quem iaciebatur, mouit. Is enim hoc tantum, & legisse se id quod scripserat in Luthero, respondit, & alios magni nominis scriptores (quorum aliquos citabat nominatim) idem ante se in Luthero peccatum acriter reprehendisse. Nã quod ad Londinensia exemplaria pertineret; scire se, Lutheri discipulos, magistri famæ consulentes, multa ex eius libris, clam, aliqua palam etiam erasisse. Nec sibi difficile, longumue, si permitterent, futurum, è Germania exempla ab ipso Luthero edita, in Angliam, contestandæ gratia veritatis, accersere. Hic vero quasi desperatæ iam causæ Campianus serum patronum inde, vsque à Germania aduocaret; effusi in petulantem risum Ministri dicentem adhuc illudere, dicacitatem exercere, Germanicum iter, patronos Bauaros, Cæsarem aduocatum exprobrare. nam forte Serenissimi Bauariæ Ducis, Cæsarisque opem Lutheri intactis aduehendis libris promiserat Campianus; ea res in ludibrium vanæ iactationis vertit. At Cãpianus cum intelligeret ea si calumnia sic abiret, debiliorem, suspectamque suam in posterum auctoritatem eo in consessu futuram; ad socios, commilitonesque sacerdotes versus palam quærit, num apud grauissimæ fidei

Catho-

Catholicos auctores, si nō alibi, eas vnquam sacrilegas Lutheri legissent voces? ab ijsque ad vnum omnibus, lectum id non semel, audiente multitudine, responsum est. Ceterum quia reuicisse se Campiani mendacium luculenter aduersarij existimabant; premere victum iterum eodem vestigio, vt clarior esset victoria, institere. ipsa Lutheri volumina, quæ Campianus ad libelli sui oram laudauerat, cum Lutheranam impietatem argueret, offerunt: alterum erat, quo præfatio in epistolam Iacobi; quo Babylonica captiuitas contineretur, alterum. Instant magis subinde clamoribus, quærat tandem in vtroque, adeo oculatus calumniator, quæ carpat Lutheri in Iacobum maledicta. non aspernatur conditionem Campianus, ratusque vestigia saltem aliqua, etiam eluti sacrilegij, apparere posse, librum vtrumque attente legere incipit. Prorsus vti coniectauerat, euenit. multa protinus notauit, recitauitque in eam, quæ abrasa erat, sententiam aperte vergentia. inter quæ hæc ipsa verba: *Affirmant nonnulli epistolam Iacobi Apostolico spiritu indignam.* Ex quibus, alijsque arguta Campianus argumentatione collegit; quam longum esset referre, non dissensisse à nonnullis istis censoribus impijs Lutherum. neque id tandem inficiari ausus Minister; tantum excusationem antiquitatis attulit, in qua non pauci de Iacobi epistolæ auctoritate dubitarunt. atque

hinc accurata in sensum antiquitatis de Iacobi epistola inquisitio duxit exordium, clarissimisque totius vetustatis testimonijs diuina eius auctoritas epistolæ vindicata est; demonstratumque planissime, ex omni eorum numero, quos ad conuellendam sacræ eius epistolæ auctoritatem aduersarij attulerant, præter vnum postremi æui Caietanum, è tota antiquitate dissensisse neminem. Hæc vbi argumentis grauissimis explicata à nostris viderunt hæresis ministri, versi suo more ad conuicia, rem totam maledictis conclusere. Horas ipsas quatuor dicendi tempus absumpserat, quod spatium illi, ceterisq; conuentibus præscriptum, seruatum diligenter est. Ergo, vt conuentum tandem aliquando mitteret Nouellus, repetere paucis, quæ in Catholicos dicta, allataque tota illa concertatione essent, cœpit. Habebatq; versuti eloquentia hominis fraudis multum. sua enim argumenta tantum, addito persæpe pondere, repetere, sales in loco inspergere, aculeos infigere, infirmiora, quæ fuerant subticere, rem omnem ad hæresis pompam, ac pene triumphum instruere. Is vbi finem dicendi fecit; eadem sibi, quæ respondissent, quæque pro se attulissent, breuissime colligendi, strictimque proponendi vti facultas fieret, infimis precibus orauere nostri: sed iurgio, ac succlamatione Ministrorum excepti, à regijs ministris tacere iussi sunt. Is matutini certaminis ordo,

exi-

exitusque fuit, visique hæretici eo lætiores à certamine abscedere, quod Lutherum calumnia, suo iudicio, exemissent. quamquam id quoque gaudium, vt vanum, ita non diuturnum fuit. paulo post ad inquisitionem tantæ rei omnium studijs conuersis, Lutheri codices primigeniæ editionis inspecti, inque ijs inuenta ipsa, quæ carpserat, hominis Apostatæ Campianus verba. Et quoniam res aperta erat, ipsi hæresis magistri, inter quos VVhitaxerus fuit, Lutheri insanas illas voces in vetustis exemplaribus legi palam fassi; personam triumphanti pene iam mendacio, vel inuiti, suis ipsi manibus detraxere.

CAPVT XLVIII.

Eodem die iterum de religione cum hæreticis disputat.

PRimum Campiani cum hoste congressum fuse exequi ipsa lex historiæ coëgit. nam cum multa Edmundi recens facta contineat, multa vetera tueatur; styli obscurandus malignitate non fuit. Mihi quidem non ducum prælia, aut imperia ciuitatum, sed facta Martyrum percensenti, minuta, aut minima, etiam voculis interdum colligendis, diligentia nulla est. Et nisi deliberatum foret disputationes Campiani verbatim ex Angli-

eo latine redditas suo separatim comprehensas volumine luci permittere; ne verba quidem disceptantium desiderari passus essem. nunc ea tantum in sequentibus memorabo, quæ ad actiones vel modestiæ, vel fortitudinis, vel Christianæ libertatis pertinere videbuntur. Disputationis locum, auctores, propugnatores notabo; quid quoque congressu actum, qua de re disceptatum, quo auditorum assensu, quo iudicio sapientium res transacta, expediam. neque si quid insignioris inter dicendum, aut tarditatis, aut contra acuminis fuerit, supprimam. Ea cura fastidio legenti, nisi fallor, nequaquam erit; vario semper, & ferace, in vtramque partem dictorum, factorumque prouentu. Mirum enim est toties repetitas litterarias pugnas, nihil præter tempus certaminis, quod horas ipsas quatuor explebat, habuisse commune. Locus ergo pomeridianæ disputationi idem, auditorum frequentia multo maior. Hæreticam causam, cedente Nouello (ita erant inter ipsos constitutæ vices) Dayus propugnauit. is quoque certamini, ex ingenio, infeliciter prælusit. in decretalibus enim Leonis IV. litteris ex Gratiani decreto recitatis, quibus sacrorum scriptorum suo ordine sancitur auctoritas; nescio quam voculam inepte cauillatus parum felix omen futuræ disputationi dedit. Disputatio diserte proposita de sola fide iustificante ex ipsis Campiani verbis,

bis, quæ ita Dayus ex libello decem rationum recitauit, caſtigatæ de B. Iacobo Lutheri cenſuræ protinus hærentia: *Hoc enim ſcripto confoſſus miſer, atque diruptus eſt, cum in ſola fide iuſtitiam conſtitueret*. Hoc ergo dum Lutheri dogma defendit hæreticus, neſcio qua occaſione, ad Græci Euangelij fidem prouocauit, ſimulque Græcum codicem obtulit Campiano. Is quia corruptum etiam hæretica impietate Græcum Euangelij contextum nouerat, habere ſe illis gratiam reſpondit; librumque cum hæc diceret, ne apertum quidem, à ſe reiecit. Perſuaſum eſt hæreticis linguarum veterum cognitionem apud Catholicos, vel exiguam eſſe, vel plane nullam. Ipſi reconditæ ſapientiæ gloriam voculis modo Græcis, modo Hebræis, cuicumque ſermoni, ſcriptoque intermiſcendis, apud imperitos aucupantur. eaque demum ratione myſteria ſe prolocutos putant, ſi de rebus, alioqui vulgaribus, tria peregrina verba magno ſupercilio immurmurauerint. Nulli vero hominum apud illos maiorem in ſuſpicionem ignoratæ exteræ linguæ venerunt, quam qui in religioſis familijs Deo ſeruiunt. Eorum multos, altiſſimis tum humanis, tum diuinis contemplandis rebus intentos, verborum negligentes, cum plerumque videant; rudes omnino linguæ cultus omnis, & elegantiæ credidere, auxere ſuſpicionem ſententijs graues, ſed verbis agreſtes, infeliciorum

feculorum scriptores: apud quorum nonne- minem repertum illud de Græcis elogium: *Græcum est, non legitur*, tritum iam in no- stram inscitiam apud eos est prouerbium. nec facile dixerim, quicquam ab illis, cum apte cadit, cachinno maiore iactari. Ergo Græci codicis repulsam, imperitiam Græci sermo- nis interpretati: mirum est quanto risu, quam illiberalibus iocis, quantis sibilis, & adagium illud inculcarint frequentissime, & in eam sententiam cum morsu, & sale multa conges- serint. Magna interim Campianus patientia tantum dedecus tolerauit, eoque maiore, quo facilius poterat risum in hostem, suæ erudi- tionis, quæ summa in eo genere fuit, expe- rimento regerere. Sed ille religiosarum ar- tium memor; comprimendi, vincendique pudoris sui occasionem auide excepit, silen- tioque sorbere ignominiam statuit. Risu, atque exsibilatione defessi, rediere ludibun- di ad institutum de fide iustificante certamen hostes: contemptimque, non videre se dice- bant, cur tantopere Iacobi Epistolam Luthe- rus pertimesceret, cum antiquis Patribus, qui in eadem Lutheri causa, placitisque fue- rant, familiaris ea epistola, minimeque for- midabilis visa esset. Nam tametsi vocem il- lam, *solam*, toties à nostris exagitatam, sa- crarum litterarum oracula, cum de fide iu- stificante agerent, non expresserint; Patri- bus tamen diuinorum responsorum interpre-

tibus

tibus identidem vsurpari. Ad eius rei fidem testes ex antiquitate præcipue duos aduocabant, ex Latinis Hilarium, Basilium ex Græcis; visusque est repetendo suauiter in Campianum ioco, ac sibilo opportunior Græcus. Ergo oculis, totaque fronte iam procaci risu natantibus, certatim complures ad Basilium Campiano ingerendum accurrere. Iam submurmurare, seseque excitare circũstans turba cœperat, cum immotus codicem accipit Campianus, locumque designatum vultus summa, perinde ac si aliud ageret, serenitate, recitare adorsus; compressit primo audaces oculorum in se coniectus, risumque iam pene fluitantem cohibuit. Mox vbi eadem constantia totum Græce recitatum locum patrio sermone verbatim expressit, adeo non modo proprie, sed etiam eleganter, vt æque vtramque callere linguam æquis, iniquisque omnibus appareret: expallescere hostis, vultum demittere, neque ipsius, neque circumfusæ multitudinis aspectum ferre posse. Interea complicatum Edmundus magna constantia librum reddens, Vos, inquit, mihi in posterum, opinor, testes eritis, me Græce nonnihil didicisse. Eam vocem admiratio audientium primo, tum secundæ in eius modestiam, eruditionemque admurmurationes consecutæ. Denique, vt sunt immodica in vtramuis partem vulgi studia, æque nimium tunc fauori plausum circumfusa multitudo

dedit,

dedit, atque sibilum antea probro dederat. Ita fracta hostis audacia, liquido ostenderunt, quod ad rem pertinebat, nostri; Patrum verba, mentemque eam esse, vt si lex vetus, præceptumque Mosaicum Christi fidei comparetur, negandum sit vlla lege, eiusue vllo opere, sed vna Christi fide iustitiam acquiri. quamquam quid opus esset vrgere Patres, cum Lutheri fides vana quædam sit arrogantis animi, plane confidentia, non fides? quæ quidem confidentia apud Patres Pauli sequentes fidem, quæ per caritatem operatur, omnino nulla est. Quid enim certius, quam Lutheri fidem vna tantum futili confidentia contineri, qua, sceleribus licet omnibus cooperti, certo nobis tamen persuadeamus, Deũ ob Christi Redemptoris merita nobis fore propitiũ? quæ animi inductio quid habet cum illa fide commune, per quam *Sancti vicerunt regna, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, conualuerunt de infirmitate?* Hæc vbi dixit Campianus, quasi rem omnem compendio conclusurus, ex allato Pauli testimonio, quo Galatæ monentur cap. 1. neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per caritatem operatur; ita Dialecticorum ritu argumentationem breui contorsit: Si sola fides iustificat; sine caritate iustificat: atqui sine caritate, si quid Apostolo credimus, non iustificat:

ſtificat: fides ergo ſola non iuſtificat. Perculit adeo vehemens telum, afflixitque aduerſarios, incertoque diu clamore cum ſententiæ ambigui, verborum incerti trepidaſſent: hoc tantum magno cum multorum riſu reſponderunt, argumentationem illam vitioſam eſſe, captioſamque; quippe quæ quatuor, vt diſputatricis artis periti loqui conſueuere, terminis conſtaret. quod Dialecticum acumen exagitare ſalſe cum poſſet pluribus Campianus; procul ab omni dicacitate, hoc vnum magnopere contendit, vt argumentatio illa ad calculos Dialecticos reuocaretur. idem alij acriter noſtri flagitarunt, neque quicquam profecere, cum id vnum illi ſubinde inclamarent: ita, vti ipſi dixerant, rem ſe habere. Acrius inde vanam, priſcisque ſeculis ignotam Lutheri fidem exagitauere martyres, obmuteſcentibus etiam non raro hæreſis Miniſtris. Præcipuum robur animi in Sheruino apparuit, cui fortiſſime, ſummaque contentione, cedentem iam, percuſſumque aduerſarium prementi, indictum pro poteſtate ſilentium eſt. Fuitque è Miniſtris, qui iuberet voces illum ſeruare ad eam diem, qua libera ipſi futura eſſet contra diſſerendi facultas. & illi tamen etiam, eo ipſo die, factam eſſe dicendi cum Campiano ab hæreticis poteſtatem, vix quiſquam aderat qui ignoraret. neq; diſſimulauit rem Sheruinus; addidit immo, non nouum eſſe ob dicendi de re-

ligione

ligione libertatem se vexari; & antea sæpe multis modis eam luisse, & paratum porro quacumque mercede suam fidem vbicumque, quibuscumque audientibus, profiteri. Excanduere ad ea dicta scilicet hæretici; iamque argumentationem ex vetere nouam serere strenue incipienti, summis clamoribus vna omnes silentium imperant, illud identidem Anglice vociferantes, Tene linguam. at ille constanter, Tenebo, inquit, linguam, tenebo & fidem. Ad extremum suam Campianus de tota iustificationis causa sententiam interrogatus, Catholicæ Ecclesiæ sensum tanta cum auditorum approbatione exponere aggressus est, vt inclinatis ad nostram causam animis ruinam partium Nouellus vereretur. Itaque callide dicenti interfatus, sermonem per occasionem auertit: tum, quasi alio, quam quo instituerant, aberrassent; interrupta disputatione, conuentum improuiso soluit. Ita primi diei disceptatio magna nostrarum commendatione partium, ipso etiam fatente hoste, conclusa est. quamquam, vt erant Edmundo infestissimi, totam rei bene à nobis gestæ laudem in Sheruinum conferebant hæretici magistri, qui vt laude dignissimus apud omnes fuerit, Campiani tamen gloriæ non offecerit.



CA-

CAPVT XLIX.

Iterum ad disputationes nouis, & propugnatoribus, & mendacijs parati hostes veniunt.

NOn satis felicem primi illius certaminis exitum hæreticis fuisse, & palam multorum voces, & ipsa siue obruendi aduersi rumoris, siue prospiciendi in posterum trepida eorum diligentia loquebatur. Primum omnium, disputationis acta pro libidine confecta, ac deprauata edunt in vulgus. Deinde quia, neque auditorum frequentia, neque fortasse partium suarum duces in rem satis esse iudicati sunt; & comprimi confluentem vndique ad audiendum turbam placuit, & propugnatores illos duos Nouellum, & Dayum dimitti, nouosque, queis robur eruditionis maius, acriorque ingenij vis inesset, sublegere. Euocatus ad pugnam Fulkus librorum non inerudite scriptorum laude apud suos magnus, cui adiunctus è numero Ministrorum Godius quidam. Neque milites solum, campus etiam, locusque certaminis mutatus. è templo in cubiculum Odoëni Hoptoni translatæ disceptationes; quod arceri à priuato cubiculo confluens vulgus honestius, quam à publico templo poterat. Adhæc quia inscium rerum omnium, atque impara-

paratum ad certamen Campianum euocatum esse iniquum ijs visum fuerat, qui honesta omnia hæresi volebant; ita rem moderati sunt, vt biduo ante quam altera disceptatio instituta est, per certum hominem Campiano significarent, quamnam libelli sui partem tuendam proxima disputatione susciperet. interim neque libri, neque amicorum colloquia, quibus ad rem propositam instrui posset, permissa vincto. Ita callide, & rem ex voluntate nostrorum moderatos esse se volebant credi, & inutile Campiano id officij genus subtracto opportuno omni subsidio reddidere. His ita constitutis dies x i v. Kal. Octobris, quam disputationi destinarant, affuit. Productus in Odoëni Hoptoni aulam Campianus, theatri faciem vniuersam aliam esse animaduertit. Nam, & rari auditores, numerum certe tricenum capitum non attingebant, & propugnatores hæresis non ijdem; & vnus ipse de nostris, Catholicæ causam veritatis suscepturus, productus erat. Reliquū consessus apparatum haud sane priori dissimilem notabat; nisi quod Ciarko, non VVitakerus, vt antea, sed Feldius quidam, excipiendis disputantium dictis, adiunctus est. Posteaquam assedere omnes; & Campiano, ne de librorum inopia quæreretur, vnicus Bibliorum traditus est codex; Fulcus preces multitudini indixit, cum graui voce Catholicum illud intonuisset, *Oremus*. Versuti hæc

homi-

hominis prima fraus fuit, qua profanis precibus, per ſpeciem pietatis, ſanctum Chriſti martyrem irretiret. Ceterum quem vis non fregerat, nec fraus fefellit. & fortis ad repellendum, & acutus ad ſentiendum dolũ Campianus fuit. Cõtinuo omnibus in genua prouolutis, ac, præeunte verba Fulco, tunc maxime infeſto ſibi numini ſupplicantibus; nulla ſollicitantium arte adduci potuit, vt cum illis ſuas miſceret preces. priuatim pro ſe Deo ſupplicaturum reſpondit, fecitque protinus, magnis pietatis intimæ argumentis. Secundum preces vbi aſſurrexit, ſalutis ſignum pectori reuerenter impreſſit; neque erubuit, clara etiam voce, inter irridentes, dum ſacrum ſignum manu notaret, verba ſolemnia pronunciare, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.* Sub hæc Fulcus quæſtionis agitandæ ſtatum expoſuit. ea erat de natura Eccleſiæ, cuius è Caluini lacunis hauſtam definitionem impuram videri dixerat, tertia ex decem ſuis rationibus, Campianus. Quam vtrum tueri vellet eo tempore cenſuram, quæſiuit ex Edmũdo Fulcus. Ille paucis primum queſtus, quod imparatus cum paratis, inſtructiſque committeretur: longius deinde, grauiuſque expoſtulauit, quod typis exſcripta, & in vulgus edita multa inaudiuerat aduerſus geſtorum priore diſputatione fidem. à ſe quippe ea dicta eſſe inter diſceptandum vulgarant aduerſarij, quæ ne ſomnianti

quidem in mentem vnquam venerant. Meminissent, & postulati sui, & communis officij, se non priuatas, & cubiculares disceptationes, sed publicas illas, atque academicas postulasse. Porro vtrique parti Dei gloriam, veritatisque inuestigationem propositam esse oportere. ea vero quin multo certius indagaretur, si parati vtrinque ad anquirendum de antiquitate, sacrisque responsis accederent, dubium esse posse nemini. Verum pergerent porro. Se qui primam iniquitatem non defugerat, ne alias quidem reiecturum. Exin propius collatus disceptantium pes. Agitatum de Ecclesiæ vi, ac natura, vtrumne videri, & plane digito in terris commonstrari posset, quod Catholica doctrina tradit: an ita sensum omnem effugeret, vt solum intelligendo attingeretur, quod hæreticorum error docet. Actum vtrinque acriter, ventumque semel eo, vt Godium, Fulki commilitonem, & vox, & argumenta turpiter deficerent. Iam ad exitum disputatio properabat, cum quasi collectis Dialecticæ viribus huiusmodi Fulkus contorsit argumentum, quo Ecclesiam ex electis tantum conflatam, ac proinde sub visum non cadere euinceret. In Ec-
„ clesiam credere fidei articulus est. Fides au-
„ tem est inuisibilis. Ergo ex electis conflatur Ecclesia. Risum, nolenti etiam, extorquere poterat tam distorta membris omnibus, & hæretico acumine dignissima ratiocinatio.

abstinuit

abstinuit risu tamen Campianus. siue quia diem ridendo ducere nolebat, cum nimis sæpe ridendum esset, si omnia risu digna hostium tela riderentur: siue quia intentus ad docendum, ludicra transmittebat. Ridiculam ergo argumentationem rationis aduersæ momento, non exprobratione vitij conuellit. Grauiter enim, & luculenter docere adstantes aggreditur: posse hæc apte consistere, & fidem oculis non subijci, & id tamen de quo credendum quippiam ipsa præscribat, vsurpari videndo posse. Nam de reparatore salutis Christo credi multa, etiam cum in terris ipse ageret, oportuit, num ergo inuisibilem eum fuisse dicere auderent? Hic quia nihil ab hæreticis respõsi dabatur, institit vrgere Campianus, age promerent, si quid contra possent. Verecundia impeditæ mentis, & hostis acriter prementis ardor duplicauere hæreticis iras. itaque in contumelias effusi: Nimis es, inquiunt, gloriosus, ac iactabundus Campiane, & nos quam animis præceperamus tuæ opinionem modestiæ damnare cogimur: exemplo futuri, ac documento ceteris, vestræ nationis laudes minus habere in recesso solidi, quam in specie honesti. Promptum aduersus hæc Edmundo, & dignum veritatis propugnatore responsum, priuatæ causæ modestum animum etiam intra modum, publicæ vero erectum, ac stabilem, vel supra modum etiam, deberi. Neque

ei sententiæ confirmandæ, veterum dictis, & exemplis abstinuit, se paratum ad infima omnia exẽplo, cum de se vno ageretur, descendere; at cum veritas quæritur, nihil cuiquam de suo iure concessurum. quam grauitatis plenam, & constantiæ orationem præclara
» illa sententia conclusit: Neque sui tuendi ob-
» stinata voluntas caritati, neque fallax humili-
» tatis species veritati officiat. flagitiumque nõ
» impar iudico, vel temeritate superbiæ, pa-
» cem; vel modestiæ obtentu, veritatem prodere. Atque hic terminus antemeridianæ concertationis fuit.

CAPVT L.

Eadem disceptatio pomeridianis horis repetitur.

Adtexta horis post paucis pomeridiana: qua haud scio an quicquam vel turpius hosti, vel nobis gloriosius acciderit. tam multa, & aduersarijs fœde peccata sunt, & Campiano acute dicta. Et illud quidem quæri cœptum, An Ecclesia errare possit. Verum in ipso pene vestibulo caput quæstionis omissum an errore, an dolo hæreticorum, aberratumque ad longe diuersum argumentum. Agitatum enim est, An accepta semel fides, aut caritas amitti queat. Eas cum ex consti-

tuus

tutis Nouatorum placitis amitti non posse Fulcus contenderet, eo deductus angustiarum est, vt Dauidem neque adulterio, neque Vriæ cæde pollutum, ex diuina caritate excidisse vnquam, vrgenti concederet Campiano. hinc in arctum sese magis compelli cernens, deflexisse ab instituto se clamat, ad eandemque vocem Odoënum Hoptonum exciuit, cuius iussu ad caput principis quastionis reuoluuntur. Neque longius progressi, in Syrtes iterum, & vada verberante instabilem hæresim veritate alliduntur. Nam cum de originis peccato salutaribus aquis eluendo mentionem intulisset Edmundus: Falleris „ Campiane, Fulcus exclamat. origine insitum „ mortalibus vitium sacris aquis non emaculatur. Mirum id sane, subijcit Campianus. „ nam quæro ex te Fulce, si licet: si quem sacro fonte rite respersum infantem præmatura illa ætate mors auferat, æternæ à te pœnæ, „ an vero saluti destinabitur? Perculsus ancipiti interrogatione acutus disputator: Imperuiam mortalibus Dei mentem, & recessum haud penetrabilem consiliorum cælestiũ esse respondit, cui scrutando se non esse parẽ: si quid conijcere tamen tantis in mysterijs mortali fas esset, credere se, illum si è reprobis fuerit, ad æterna supplicia retrudendum. „ Perinde igitur apud vos est, colligit illico Cãpianus, baptismo nec ne abluantur infantes, „ si quidem neque natura insitum peccatum „

„ baptiſmo aboletur, neque vitæ immortalis
„ aditus recluditur; quod cuius ſit in Eccleſia,
„ quamque portentoſæ nouitatis, oſtendere
„ ſuperuacaneum puto. Nihil certe apertius
„ cum ſacrarum Litterarum oraculis pugnat.
Hæc dicentem Campianum, verboſæ, futileſque hæreticorum altercationes excepere. Hinc quia longius abierant, iterum ad inſtitutum reuerſi ſunt. Forte inter cetera dixerat in loco Campianus, diuinæ præcepta legis ſeruari à mortalibus poſſe: cum repente ingens adſtantis multitudinis exſibilatio conſecuta eſt. Deterruiſſet à dicendo alios aduerſus auditorum clamor, qui tamen inflammauit Edmundum: ſpreto conſtanter plebeio ludibrio, docere in hunc modum maluit errantem multitudinem, quam timere. Quan-
„ doquidem inquit, ſibilo ſalutare de diuinæ
„ legis ſeruandæ facultate placitum excepiſtis;
„ æquum eſt, tum quid dictum, tum quare ſit
„ dictum, patienter, attenteque ex me audire.
„ Ita ergo accipite. Diuinam legem vniuerſam
„ duplici caritatis cardine verſari, quorum al-
„ tero cum Deo, altero cum proximo iungi-
„ mur, certum apud vos etiam eſſe exiſtimo.
„ Et quidem ſublimia eſſe, & ardua, quæ du-
„ plici illo capite præcepta continentur, ne-
„ mo non videt. Verum tam multa diuinitus
„ ad ea implenda, adeoque magna ſuppetunt
„ præſidia, vt ea niſi ſponte quis negligat, fa-
„ cile impleri, ſeruarique poſſint. Neque enim

cum

eum diuinis imperijs parere nos poſſe affir- »
mamus, id, niſi ipſe vires ſuggeſſerit qui im- »
perat, fieri poſſe dicimus; idque à vobis, ex- »
ceptores, perſcribi, notariq; peruelim. Nam »
ſi nulla ratione ſeruari lex poterat, quorſum »
lata à Deo? ab Angelis promulgata? ab om- »
nis æquitatis arbitro, ac reparatore ſalutis »
Chriſto confirmata eſt? Cur addita præce- »
pta? cur ſupplicia negligenti, cur ſeruanti »
præmia, vtraq; in omnem æternitatem pro- »
poſita? Hæc dicentem interfatus Fulcus, »
Non eo conſilio præcepta à Chriſto Domino «
data, reſpondit, vt ijs implendis hominum «
genus laboraret; ſed eo tantum, vti imbe-
cillitate ſua perſpecta, diuinā miſericordiam
imploraret. Quaſi vero, ſubijcit Edmun- »
dus, non ſatius fuerat, ſi eo tendebat, aperte »
hortari, monere, ſuadere hoc ad miſericor- »
diæ aram perfugium, quàm id per ambages »
eorum præceptorum agere, quæ noſtram fa- »
cultatem, etiā diuinitus adiutam exuperant. »
In eandem ſententiam, & rationum grauiſ-
ſimis momentis, & euidentibus exemplis
magna cum laude verba tamdiu fecit, donec
Fulcus, ne victus videretur, luculentæ victo-
riæ imprudenti reſponſo opportunum adi-
tum aperuit. Cum enim grauem Edmundi
impreſſionem pauidus animo ſentiret, Aber-
ras, inquit, Campiane, neque potes bene
colligere, qui tam perperam ratiocinere. ille
verus negotij totius cardo eſt: Omnis noſtra »

„ cogitatio peccatum est, omnis existens in
„ homine vndecumque tentatio, scelus est.
„ Tam ergo potest humanum genus in Dei le-
„ gem non admittere, quam ab omni cogita-
„ tionum, titillationumq; pugna immune esse.
Vix risum hoc loco sanus quiuis cohibuisset.
Campianus, re magis, quam verbo, vultu-
„ que iocatus: Mirabilem vero doctrinam,
„ inquit, cui quantum cum diuino verbo con-
„ ueniat, vos videritis. *Beatus certe, qui suf-*
„ *fert tentationem*, Dei iussu, ac voce pronun-
„ ciatur, qui inter vos, vt video, impius, ac
„ sceleratus erit. Nam, & illum quoque pec-
care inter vos consequens est, qui vti Regi-
næ gemmis, pretiosæque supellectili manum
clam inijciat, suadenti diabolo repugnarit.
Id vero nisi ridiculum est, vicistis: Hic quia
sententiæ fœditas clarior erat, quam vt vlla
ratione obduci posset, ad conuicia ventum
est, magnisque clamoribus, Iesuitis, respon-
dent, id quidem ridiculum videri posse, non
Dei seruis. multaque præterea eadem amen-
tia elati subtexuere: quæ quoniam præter
inanem verborum procaciam nihil afferunt,
supprimam. Illud postremo loco, ex occa-
sione quæstionis, Vtrum corporati sint An-
geli: coacti sunt hostes fœde, & aduersus
Christianæ fidei dignitatē dare, posse aliquid
ad fidem pertinere, quod tamen ad salutem
nulla ratione pertineat. quod vbi aperte col-
lectum, datumque vrgenti sibi, ab hoste,
animaduer-

animaduertit Campianus; quæcumque eo die ab aduersarijs, præter omnem totius Ecclesiæ sensum dicta absurde fuerant, à postremis orsus, breui oratione collegit. Quæ à vobis, inquit, quibus eius rei ius est, excipi perscribique plane postulo. Primo, liberum esse res ad fidem pertinentes aliquas credere, vel reijcere, quandoquidem ad fidem pertinere aliqua possunt, quæ ad salutem non pertinent. Deinde, originis inolitum homini peccatum baptismi fonte non extingui. Tum qui in Christi gratiam semel admissus sit, aberrare non posse. Quarto, omnia animo admota vndecumque cogitata aduersus Dei legem, peccata esse. Quinto, Dauidem adulterio, ac cæde perpetrata, peccati, iræque filium non fuisse. His enumeratis, æquissimum esse dixit; seque id vehementer ab eis petere, vt quoniam toties non nisi refellendi obiecta onus ipse subierit; vel tunc, vel aliquando tandem etiam obijciendi, quæ ab ijs refellerentur, partes ipsis volentibus sustineret. quod iustissimum postulatum, quia honeste contradici non poterat, ad alienam voluntatem, arbitriumque magistratuum à Fulco reiectum est. Ita vtrinque, à nostris ad carceres, domos ab hostibus discessum.

CAPVT LI.

Postremum Campianus hæreticos, & disputatores, & tortores superat.

Tertius, quem exequar, noſtrorum, hoſtiumque congreſſus, locum, apparatum, diſputatores, conſeſsum, haud quaquam à præcedentis diei diſceptatione abhorrentes habuit. Diſceptationis ſolummodo argumentum aliud. De Euchariſtia Sacramentorum diuiniſſimo actum. Antequam certamen committeretur, monenti Hoptono magnas deberi à noſtris Reginæ gratias, quod huiuſcemodi diſputationibus locũ conceſſiſſet; Campianus ſe vero ait certamen illud alienæ ſalutis cauſa ſuſcepiſſe: nam ſibi quidem Catholicæ religionis capita ſatis explorata eſſe; agere tamen pro qualicumque hoc merito Reginæ gratias, ijs vero impenſius, qui audiendo affuiſſent. ſtatimque ſanctiſſimę Trinitatis nomine ſuppliciter appellato, paratum ſe certamini ſignificat. A ſacra prece ordiendum Fulcus cum de more præfatus eſſet, præit carmen quo à Deo, quẽ oppugnaturus erat, lucem, vireſque flagitaret. Eius precationis ſocietatem vbi conſtanter recuſauit Campianus; quod adorato iam Deo, publica illa ſupplicatione opus non haberet;

beret: pressius cum illo se acturum ait Fulcus. Quod enim liberiorem illi fecerit postrema congressione respondendi facultatem; oratoria illum facundia, similium, comparationumque copia, & omni dicendi lumine adeo vim argumentorum obruisse, vt victas regiorum partes vulgo percrebuerit. Ceterum Theologicæ veritati, non facundiæ circulatrici theatrum illud apertum iam crederet: modumque verborum fascinationibus statueret. Accepta conditione, conserunt manus. In ipsa primo, quam intentauit Fulcus, ratiocinatione, vitium inter Dialecticos puerile deprehendit, ne ipso quidem eius auctore contradicere auso, Campianus, idque ad ventosi hominis petulantiam compescendam, vti referretur in commentarios ab exceptoribus, omni ope contendit. De Epiphanij subinde sententia cum altercarentur; oblatus Græcus codex, repudiatur à Campiano, quod locum quem vexarent memoria teneret, quem memoriter etiam explicauit. Producta ad multam diem disceptatio magna hostilium argumentorum imbecillitate, quæ eorum numerum, vt fieri solet, auxerat. antequam conuentus solueretur, enixe obsecrat Ministros martyr, vti sibi, nisi illi suæ causæ plene diffidant, impetrent à Principe obijciendi vel semel aliquid ex Patribus facultatem. effecturum se, vt omnes intelligant, quam aperte, quam perspicue pro Catholica

veri-

veritate testimonium veteres omnes Christianæ religionis Antistites dixerint. Excusant eius rei impetrandæ potestatem Ministri, contra incusante martyre trepidantiū in mala causa voluntatem. Tum vero illi palam, nolle id se à Principe pro eius farinæ hominibus tantum beneficium impetrare. Non absurde sane. Etenim acri hosti, & parato, rimosam suæ arcem hæresis, oppugnandi potestatem impetrare, hominū fuisset suæ causæ præuaricantium. Has tum inter cunctationes locum vulneri nactus, Quandoquidem, inquit, adeo confidenter nihil aduersum vos in causa pronunciatum à veteribus confirmatis; vnum è Patrum nobilissimo petitum locum interim accipite, quem si, quauis arte, effugitis, vicistis. Is est Augustini, qui in Psal. 33. Domini corpus in augusto sacrificij Sacramento propria quadam religione colendū tradit, cum illud idem plane sit, quod assumpsit ex Virgine; his verbis: *Fluctuans, inquit, conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & inuenio, quomodo sine impietate adoretur terra, adoretur scabellum pedum eius. suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit: inuentum est, quomodo adoretur tale scabellum pedum Domi-*

ni,

ni, vt non solum non peccemus adorando, sed "
peccemus non adorando Hunc locum magno "
cum totius coronæ silentio prompsit. ab aduersario responsum nihil traditur. adeo fulminis more veritas, & oculos euerberauit, & obstupefecit audaciam. Neque quicquam post hæc memoratu dignum antemeridiano congressu actum reperio. quamquam futiliũ argumentationum numerum ingentem effusum esse scribat, notetque illas singillatim is, qui occultus, vt ante docuimus, exceptor interfuit. inanitatem vanorum ictuum multitudine supplente. Neque pomeridiana cõgressio vlla vi fessæ hæresis notabilior. De admirabili panis, ac vini in corpus Domini, ac sanguinem transubstantiatione dimicatũ. cuius quia fructum Caluiniani negligunt, etiam nomen quasi barbarum carpunt, perinde, ac si adeo inusitatis mysterijs nouum, insolitumque nomen effingere vera latinitas non permittat. Sed hoc est pertinaciæ ingenium, obluctandi studio omnia metiri. Fulcus primo loco, altero Godius nihil ferme aliud quam panis & vini nomina ad Eucharistiam notandam vsurpata, & diuinis Sancti Spiritus, & humanis Patrum litteris, iactabant. ex quo illud colligi volebant, Ergo panis vinique substantia in Sanctissimo illo Sacramento aliqua remanet. Respondit id quod res est martyr; obsoletum, & rancidum argumentum vsu ipso quotidiani sermonis

monis animaduerſo concidere. ita enim mortuos reſurgere, claudos ambulare, à virga Moſis virgas Ægyptias deuoratas dicimus, legimusque: quæ loquendi, ſcribendiq; formæ nonniſi tranſacti temporis reſpectu veræ ſunt. neque enim qui ſurgunt, mortui, neque greſſum mouentes, claudi, neque demum deuoratrix virgarum, virga eſſe potuit. Clarior pro martyre locus fuit, quo quæſitum eſt, qua ratione commutabilis ſubſtantiæ expers Sacramentum alere veſcentes poſſet. eius admirabilitatis cauſas plane, diſtinctéque cum exponeret, ingemuit, quod eius loci quæſtio non audiente Oxonienſi Academia agitaretur, hanc enimuero eſſe quæſtionem, quæ eruditi auditoris indigeret. Eadem orationis alacritas in martyre, in hoſte contra abiectio, cum de fractione diuini panis quæreretur. Subſtantiam non niſi accidentium beneficio frangi, aut diduci perſpicuis martyr rationibus demonſtrat; aduerſario, quoniam in re minime perſpecta, vt fit, lapſum timebat, nihil auſo contra dicere. Fœdum poſt hæc ab aduerſarijs ingeſtum, & Fulco dignum argumentum; eſſe in diuino cibo ſubſtantiæ aliquid, quod in fæces abeat. atque ne ſine auctore ineptiret, Adamantium Origenem iactat affirmantem, quæcumque os ingreſſa ventri tradantur, aliquando deijci. Miram profecto, & quæ repetitis ex antiquitate teſtibus firmaretur, ſapientiam.

pientiam. sed non iocularem, quod fortasse merebatur, inuenit interpretem. Accurate rem totam in Sacramento explicans Campianus, quia iterum naturæ arcana altius ingressus est; impeditum ignorationis suæ tenebris hæreticum irretiuit adeo, vt repente omissa, quam tamdiu exagitarat, quæstione, ridiculo exordio quæreret, in quo rerum ordine, ac genere, seu vt nostrates Dialectici loquuntur, in quo prædicamento materia censeretur. Quam etiam adeo celeriter quæstionem omisit, vt appareret, inter trepidantis animi angustias, subsidio succedentis iam pudoris, forte obuiam arreptam esse. Itum inde ad quædam Augustini, Theodoreti, atque Irenæi testimonia: quibus nullo contradicente luculenter ab Edmundo explicatis, tota de religione altercatio, non sine aliqua vel animorum, vel laudis, ac dignitatis fruge dirempta est. Neque adeo hebes sensus aduersarijs fuit, quin magnam excepisse se illis disputationibus plagam animaduerterent. Quamobrem communi consilio constitutum exinde est, ne vnquam Iesuitæ disputatione lacesserentur. Satis constat, vt reliquos omittam, Philippum Houardum Arondeliæ Comitem, Norfolciensis Ducis filium, hoc est ipsum Anglicæ nobilitatis florem, earum vi disputationum ita commotum, vt hæresis pertæsus, cui innutritus erat, tandem Catholicam religionem ex animo

induerit:

induerit : pro qua poſtea tuenda vincula etiam, carceresq; perpeſſus, clariſſimus Chriſti confeſſor occubuit. Hactenus verbis, ac litteraria contentione Campiani tormenta interrupta; vbi vero dicendo nihil profici intellexere, ſæuiſſimas equulei quæſtiones renouant. Conſtantia martyris omnium iam ſermone celebrata, hæreſis cauſa diſputationibus mirifice concuſſa, intenderunt hoſti iras, martyri tormenta. Diris ergo modis repetitæ quæſtiones, non alio quam exercendæ crudelitatis fructu. reliqua enim vſitata cum laude victrix patientia obtinuit. Feſſi irritis toties conatibus, Maieſtatis reum peragere Edmundum, aliosque, qui in vinculis erant, ſacerdotes, conſtituunt. (iam ante eo de ſcelere, quoniam religionis cauſa inuidiæ plena in vulgus erat, intentando conuenerat) additi quoque è laicis aliquot, quorum conſpectior pietas. Eorum nomina in tempore memorabo. Verum quia tanta reorum multitudo grauis iudici, grauis auditori, qui frequens audiendo conuenire in Anglia ſolet, videbatur; bifariam diſtributa. Pars cum Campiano, pars non multo poſt cum Brianto producta eſt. Id ego antequam exequor, vniuerſam Anglicorum formam iudiciorum, haud paulo à noſtrate abhorrentem, exponere alienum non arbitror. Id niſi facerem, narrationis identidem ſeries, reddendis rerum, quæ

inter

inter iudicandum accidiſſe memorabuntur cauſis, intercidenda eſset.

CAPVT LII.

Anglicorum iudiciorum forma.

Est in nobilibus Europæ totius ædificijs non vltimum, quod Londini viſitur, qua primã ea vrbs obijcit occidenti ſoli frontem; patria lingua VVeſtmonaſterium Angli appellant. Inter cetera aulam continet iudicijs, cuiuſque generis peragendis deſtinatam, tantæ amplitudinis, quantam qui oculis non ſubiecere, animo vix concipiant. In ea vaſtitate tria magnifico opere tribus diuerſis locis aſſurgunt tribunalia. Sua ſingulis adiuncta ſedilia, vtroque ex latere protenduntur. Ab extremis ſedilibus ad parietem ducti lignei cancelli, ſpatium magnæ capax multitudinis includunt. Eo ſpatio iudices, actoreſque continentur. Iudicum ſui ordinis princeps pro tribunali; aſſeſſores quatuor ad tribunal conſidentes, ius dicunt. Stat proximè præco: poſt eum qui iudici eſt à ſecretis, ſedet. Actores, patroni, aduocati intra cancellos promiſcue, vel pro dignitate, ſtant, ſedentue. Ad cancellos rei aperto capite cauſam dicunt: alibi per aduocatos; vbi de Maieſtate poſtulantur, patrocinio cuiuſuis pro-

R hibito,

hibito, per se ipsos. Et nisi quod inniti cancellis queunt, stantibus & dicere causam, & audire necesse est. Paucis interdum sedes admouentur, qui vel senio, tormentisue fracti; vel insigni nobilitate conspicui sunt. Post reos satelles cum armis frequens. ab hoc, auditorum ingens (nam cuicumque ad audienda iudicia conuenire liberum est) multitudo. Trium porro tribunalium quem diximus numerum triplex iudicum, iudiciorumque diuersitas facit. Ab alijs enim iudicibus lites inter populares cognoscuntur: quæ ferme de fortunarum rationibus agitantur: nam quæ de sanguine, ac cæde intenduntur, prouincialibus comitijs reseruantur. Alijs quæ ad aliorum tribunalium, vel iniurias auertendas, vel nimiam seueritatem moderandam pertinent. Alijs iudicia Maiestatis committuntur. Primi iudices, tribunal, quod communium causarum appellatur, obtinent. Alteris illud obtigit, quod Cancellariæ nomen, ex nomine Præsidis inuenit: illi enim Cancellarius summo cum imperio præficitur. Postremis, regium, quod vocant, Bancum, attribuitur. Porro singulis tribunalibus quini iudices præsunt. ex ijs vnum reliquis præfectum, iudicem supremũ dicunt; sui quemque tribunalis ceteros: at eũ qui regijs causis præest, ampliore nomine Angliæ supremũ iudicem appellant. Et ego eam deinceps iudiciorum formam exequar, quæ in regio

tribu-

tribunali solemnis est; tum quod ex hac facilis erit de reliquis coniectura: tum quod conniuente Deo Angliæ sceleribus factum est, vt qui de religione (quæ nostrorum necis causa fuit) peraguntur rei, de Maiestate causam dicere cogātur. perinde quasi hinc regia, inde diuina Maiestatibus hostiliter dissidentibus, à Deo qui stetit, is regem oppugnasse iudicetur. Ad regium ergo tribunal, qui producuntur rei, ex arce Londinensi (is enim est maiorum scelerum postulatis carcer) ad Tamesim arcis mœnia alluentem valida satellitum septi manu deducuntur. Cymba conscensa totum Londini, qua longissime protenditur, secundo flumine emensi latus, ad VVestmonasterium contendunt. ad aulæ cancellos multo custode deducti supremum iudicem opperiuntur. Is vbi reliquos minores sui consessus iudices conuenisse nunciatum fuerit; infinito deducentium agmine, argenteo etiam capitato sceptro præeunte, ad suum tribunal reliquis omnibus assurgentibus procedit. Cultu ipse corporis prębsigni est. Quippe qui laciniosam è coccino indutus togam, vndique fluentes magno luxu purpuræ sinus longe, lateque humo trahit. Vbi inter quatuor minores collegas medius assedit: præco stans, verba præeunte qui iudici est à secretis, silentium primo, mox quaternos vicenos nominatim viros ciet, qui regni totius loco, ac nomine inter regem, reosque medij de tota

re iudicent. Decorum id sibi scilicet, veteres incorruptæ Angliæ reges existimarunt; si æquo propemodum cum popularibus iure congressi, suas etiam caufas, querelasque ad commune patriæ arbitriū retulissent. Quamquam, vt sunt decliuia bona ciuitatum instituta, quæ olim veræ æquitatis seu reliquiæ, seu pignora fuere; vmbræ nunc sunt, atque ludibria elusæ libertatis. nam quidquid è re, aut libidine regia fuerit, id ita viris huiusmodi ante proponitur, vt intelligant quid sibi vel iure, vel iniuria sequendū sit. Hos vbi nominauit, iudicij summam, reis item nominatim appellatis, exponit. Post hæc si qui testimonium aduersus reos ferre velint, liberum esse pronunciat. Et hæc prior est actio, quæ vulgari Angliæ voce Magnus inquestus appellatur. Non multo post actio posterior instituitur, cui Paruus inquestus nomen est. In ea è viginti quatuor viris, quos priore actione iudicis auctoritate designatos diximus, reijciendi aliquot ius est reo. qui si neminem reijciat; iudex ipse supremus duodenos ex omni numero, abire iussis alijs, designat. Designati duodecim viri iureiurando pollicentur ex animi sui sententia, gratia, atque odio procul, quæque alia turbandis mentibus excitantur, iudicaturos. quo facto dextra, læuaque iudicis, sessum recipiuntur. Inde noxij nominatim ordine inclamantur, manumque attollere ad nomen iubentur,

eo consilio, vt à XII viris etiam de facio cognoscantur. Post hæc de scripto obiecta singulis crimina scriba publicus distincte: clareque pronunciat. Est vero hoc loco quod notetur. Nam plerumque omnia, quæ ad obiecti criminis genus pertinere possunt, vera, ficta, similia veri pariter, multumque dissimilia vndecumque conferunt, reor vti accusationis tabulæ auctiores producantur. Neque id mirum auditoribus, aut graue noxijs videtur. credo quia consuetudo calumniæ vim dempsit. Nam tabulis accusationis recitatis respondere iussus à magistratu reus, vno verbo obiecta omnia diluit; falsa esse quæcumque aduersum se sint allata pronuncians. pari scilicet confidentia, & accusatori pleraque falsa obijcere, & multa vera inficiari reo mos hodie apud Anglos est. Prima hac igitur veluti ex tabulis accusatione irrita: altera instituitur in hunc modũ. Posteaquam nullo ex obiectis crimine teneri se iudici interroganti respondit reus, iterum interrogatur, Cuius ergo iudicio te permittis? Dei, & patriæ, subijcit ex præscripta formula continuo reus. id ni faciat, atrox supplicium legibus ciuitatis subeat: vti humi stratus iniecta mole misere obteratur. Vbi Dei, patriæque iudicium implorauit; Ita sit, inquit iudex, & nos hic Dei, & XII hi viri patriæ vices, locumque rite obtinent. Tum vero regij aduocati magna vi cooriuntur, & plane prisca

dicendi, criminandique licentia, orationi aduersum reos frena laxant, neq; aut vllo oratorio fuco, aut mendaciorum plerumque falsis abstinent. addunt & cõtumelias in reos, & commiserationem in Regem, quæque alia ciendis animorum motibus dicuntur, aguntur ue. Præcipuum eorum artificium est, crimina quamplurima genere dissita, dissimilia coniecturis, ipso dicendi ordine perturbata, dispergere oratione potius quam complecti, vt reum metu exanimem, periculi præsentia trepidantem, ipsa obiectorum varietate, ac dissimilitudine perturbent. Ex quibus cum aliquod vnum inter diluenda cetera labente memoria omiserit, quasi conscientia veri criminis tergiuersantem euertant. Nam accusatoribus, vti dicebam initio, per se ipsos respondere Maiestatis accersiti coguntur, idque nullo ad meditandam defensionem spatio permisso. Vbi pro se dixit, quæ visa sunt, reus; iudex breui tum accusationis, tum defensionis capita perstringit, memoriæque XII virum iuuandæ gratia paucis comprehendit, ita tamen vt inter dicendum facile significet, damnarine reum, an absolui Regi placeat: quod vnum ferme bonis XII viris pro omni iure, iustoque est. Ipsi secundum hæc XII viri ad consultandum secreta in conclauia soli abeunt. Ibi hoc tantum inter se quærunt, patrassene videatur, quæ obijciuntur, facinora is, qui

reus agitur, necne. Nam pœnæ constituendæ probato crimini partes regio iudici relinquuntur. Dum deliberatio tenet; arcta clausi custodia omni humanæ vitæ vsu prohibentur, ne cibum quidem, aut potum capere, nisi re constituta, fas est: neque illa constitui, nisi de communi ad vnum omnium sententia, potest. Itaque non raro euenit, vt vnius tantum aduersus ceteros obstinata peruicacia dies integros rem duxerit; tandemque inediæ, sitisque impatientia victos collegas ad suam sententiam pertraxerit. Re constituta ad consessum redeunt, sententiamque à iudice rogati, per vnum, quem è suo numero delectum, XII virum principem appellant, vnico verbo *Gilti* vel *No gilti*, respondent. id verbum Anglice sontem vel insontem significat. Et olim quidem cum meliora tempora viciniora libertati forent, simul *No gilti*, pronunciabatur, festis cum vocibus absolutus reus dimitti consueuerat. At nunc si quid tale pro reo audent XII viri, redire protinus ad saniorem, acrioremque deliberationem iussi, non ante dimittuntur, quam sæuam pro regia voluntate vocem effuderint. Ea vox vbi ferali sono aures, animumque eorum etiam, qui extra periculum sunt, ingenti horrore concussit: supremus iudex vt in re conclamata, versus ad reos, nunquid pro se loqui habeant, interrogat. Pauci dicendi libertatem his rerum postremis

præſtant. plerique nixi genibus ſupinas tendentes ad cælum manus, regiam clementiam flebiliter inuocant, tam fruſtra, quam promittitur. Nam & polliceri ſuſtinent clementiam iudices, qui tamen protinus capitis ſententiam ex lege ferunt. Eſt illa in Maieſtatis damnatos huius fere ſententiæ, ac formæ:
„ Nocentem ego te N. Maieſtatis con-
„ uictum ex lege trahendum è carcere ad furcas
„ iudico. inde ſuſpenſum ſemianimem adhuc
„ euiſcerari, in parteſque diſſecari quatuor iu-
„ beo, quas prodendo ceteris exemplo quatuor
„ conſuetis vrbis locis, dum tabo ſponte de-
„ fluant, affigi placet. Quamquam aliqua admiſceri conſueuerunt à iudice verba, ſeu fictæ, ſeu veræ argumenta lenitatis. Conſuetum illud eſt, & ſollemne, vt hæc verba addat: *Deus miſereatur veſtri*. Ita iudicio peracto, ex aula domum quiſque ſuam ceteri; capitis damnati in arcem aduerſo Tameſi eo quo venerant ordine reuehuntur. Vnum euariat, quod ad iudicium venientes arcis porta, quæ Londino obiacet, egrediuntur. Iidem ſi damnati redeunt, ſecretiore alia arcem ineunt, quæ ab vrbe auerſa ad Tameſim breui ſcalarum tractu ducit, perduelliumque porta ea gratia appellatur. Datum id ſcilicet Maieſtati, vt qui in eam peccarint, eorum conſpectum ab humana ſocietate auertant. Nam ſi abſolutus fortaſſe quis, vel omnino indemnatus ad arcem reducatur, eadem

qua

qua exijt, vitato infausto aditu, porta regreditur. Hæc de Anglicis iudicijs præfari opus fuit. de illis quid sentiam dicere neque necesse habeo, & frustra essem, si dicerem. Nam neque si quid peccatur, me monento corrigetur, neque vllum iudicij genus est, quod non conditorum voluntate sanctum, non vsu deprauantium calumniæ, atque iniquitati oportunum sit.

CAPVT LIII.

Ad iudicium bis Edmundus, aliique pertrahuntur.

Antequam huic iudicio sisterent Campianum, iuris Anglicani peritorum conuentum habuere. Apud eos capita criminationum in Campianum, ac socios exponunt. quæsituri an satis inde instructi forent ad necem innocentibus ex calumnia aliqua legum inferendam. Ea de causa ad priuatum hunc consessum ipsi etiam rei producti sunt, experiendæ constantiæ, quærendique ad alios infirmiores fortasse aditus gratia. XVII Kalen. Nouembris Campianus quinque cum sacerdotibus, vnoque præterea laico ad huiusmodi probationem adducti. Sociorum nomina hæc traduntur, Rodulphus Sheruinus, Thomas Cottamus, Ro-

bertus Ionſonus, Lucas Kirbæus, Iacobus Boſgrauius, Eduardus Rhiſtonus. his ſacerdotibus Henricum Ortonum honeſtum laicum addidere. Hos audire tacitos obiecta crimina, neque ad extremum aliud vti reſponderent permiſere, niſi vnicam vocem; Feci, vel Non feci quod obijcitis. Addunt alij, poſteaquam nihil eſſe in ſeditionis calumnia virium animaduertere, ad captioſam illam, & ancipitem de Pij V. aduerſus Eliſabetham decreto interrogationem aduerſarios confugiſſe; num illud iure latum, num ferri à quopiam iure poſſet, quæſiſſe ex Campiano. Illum, nihil eſſe quod ſibi ea in quæſtione negotium faceſſerent, reſpondiſſe. Reginæ ſe coram aperuiſſe, quid de Pontificis in reges poteſtate ſentiret. ita laqueus ille doloſæ quæſtionis eluſus eſt. Neque hoc ſubticuerim, inde famam increbuiſſe; nocte, quæ priorem hanc prægreſſa eſt actionem, deductum ad Reginam Campianum, veſte, ne quid turbaret inſcios, famulitia. ea audiente multa de religione diſſeruiſſe: iterumque ab ipſa Regina præmiorum ſpe fruſtra tentatum eſſe. Ad eundem conſeſſum biduo poſt ſeptem alij ſacerdotes conſilio, rationeque conſimili deducti. Hi fuere Alexander Briantus, Ioannes Scertus, Gulielmus Filbæus, Laurentius Richardſonus, Ioannes Colingtonus, Ioannes Hartus. Hos vbi repellendis criminibus conſtantiſſimos ſenſere, dies

quatuor

quatuor ad calumnias pro re instruendas, testesque comparandos patronis, aduocatisque regijs permittunt. Eos vbi satis instructos apparuit, ad publicum iudicium Campianum, sociosque eos quos priore actione collegas eiusdem gloriæ dederant, producunt, à. d. XII. Kalen. Decemb. Iudicij fama infinitam omnis ordinis multitudinem conciuerat. plerosque veneratio martyrum, multos odium in Catholicos, non paucos ipsa spectandi, audiendiq; cupiditas in VVestmonasteriensem aulam euocarat. Eo septem martyres non alio quam rei ceteri ordine, rituque deducti. Præcesserant alij, iamque cancellos reorum stationi, vti diximus, destinatos attigerant; cum qui postremo loco siue ludibrij, siue honoris gratia trahebatur Campianus, tardior inter moras concurrentis, constipantisque se ad eius auditum nomen turbæ, in aulæ limine apparuit. Sidus repente aliquod exortum diceres: adeo omniū oculos quasi eius vnius de periculo agendum foret, in se vertit. Ipse inter custodes, ac carnifices frontem, faciemque cultui corporis longe dissimilem præferebat. Vix alias constantiore vultu visum ferunt. Talari tunica quám ad latera præcinxerat, crassissimo, ac seruili è panno (Hibernicum appellant) indutus erat. eius tunicæ manicis brachia, & manus, longis sæuisque tormentis omnino luxata, planeque stupida inseruerat. nulli ta-

men salutantium, ex occulto licet, defuit, quaque solebat frontis, orisque serenitate æquorum, iniquorumque oculos, ac vultus vel sustinuit, vel placauit. Vbi ad reorum cancellos ventum est; nouum peræque, ac magnum spectaculum, quanti à Catholicæ fidei luminibus Edmundus fieret, ostendit, non sine plausu multorum, omnium approbatione. In aduentantem Campianum obuertuntur primo martyres alij, qui præcesserant; iamdiuque stabant. mox proximum magna totius corporis inclinatione venerabundi quasi principem sui agminis consalutant. Iudex inde, ac ceteri actores, aduectatique suas in sedes recepti: iudiciumque rite institutum. Citantur nominatim de more martyres. sustulere ceteri ad nomen manus: Campianus ne id posset equulei vis effecerat; eapropter iterum factus eius gloriæ locus. nam qui adstabat è captiuis sacerdos, Sheruinum fuisse fama tenet, Campiani brachium inuolucris, ac manicis expedit, attollitque. quod antequam faceret, tot, tantisque tormentis consecratam martyris manum pie, reuerenterque exosculatus est. ita quam sæuitia dempserat, caritas restituit respondendi ad nomen potestatem. Magnum dein volumen ineptarum accusationum plenissimum recitatum aduersum reos. quæ, quoniam falsas esse nemine arguente constabat, neque propterea quicquam momenti ad causam

more Anglico, quem supra exposui, afferebant, traditæ non sunt. Enimuero si essent traditæ, neutiquam suppressissem, vt insani iudicij gustum aliquem lectori traderem. Accusationum longam Iliada, testium productio longior, Poppamique, regij aduocati, oratio longissima excepit. Is magno verborum ambitu vehementem aduersus factiosos homines orationem ingressus, omnes locos puerili declamantium pene diligentia conquisiuit, ex quibus seditionum, nouandarumque rerum studium damnari solet. Eius orationis cum diu nullum exitum inueniret; ex ipsa auditorum oscitatione, otiosisque colloquijs intellexit, sibi se canere, & suæ Nemesi. Ergo cum horrenda vociferatione ad tumultus Nortumberlandicos, VVestmerlandicosque deflexit: quorum auctores, Catholici scilicet viri, earum prouinciarum Comites pridem extiterant. Hoc vbi questibus intolerandis egit, summa comploratione, quid nuper Sanderus in Ibernia mouisset, explicare cœpit. Iam horas aliquot hisce commiserationibus impleuerat: cum modeste iuxta, atque fidenter interfati rei orant, alienis vti tandem amputatis ad suam causam orationem aliquando reuocet. quæ adhuc tanto opere explicata, & deplorata sint, ad alios omnes potius, quam ad se, pertinere. Eorum aliqua se nondum natis, multa vixdum natis, omnia nescientibus, nedum

probantibus gesta esse. Verum ne id quoque errabundum oratorem compescuit, veritum præmeditatæ concionis ordinem, nexumque abrumpere. Subiecit immo, paterentur se interim quæ vellet fari, enarraturum in loco, quæ reos propria scelera attingerent. atque veluti stimulos ineptienti homini addidisset iustissima interpellatio; non modo earũ, quas prius memorauerat, sed antiquiorum etiam seditionum damna, indignationem misericordiæ admiscens, peregit. Interpellare iterum hominem tamdiu auditorum abutentem patientia, tutum fuit, atque adeo fauoris plenum Campiano. Orat ad sua, suorumque, si quæ essent crimina, tandem veniat: nam ijs, quæ hactenus memorata essent, si se tangi crederet propterea quod eorum auctores Catholicæ religionis cultores essent, videret, ne ipse earum omnium seditionum reus agi aliquando posset, quibus Gallia, Belgium, Germania, è propinquo Scotia, tamdiu quaterentur: propterea quod earũ auctores hæresim profiterentur. quamquam non magis se in seditionis causa, ea premi Catholicorum enumeratione hominum, qui per tumultus interim rempublicam vertissent, quam furto ablati arietis reuinci quis posset eo argumento, quod pater, auus, atauus, alijque maiores ouillam interdum non illibenter esitasent. Iocus is fuit, qui quoniam interrito vultu, sedataque, sed

libera

libera oratione iactus est, secundissima admurmuratione omnium est exceptus. Sed ne id quidem retrahendæ ineptæ accusationi profecit. Duxit iterum Poppamus per obsoleta temporum, rerumque abiuncta orationem. tum fessis iam omnium animis ad propria reorum crimina deuenit. Capitale illud vnicumque fuit. coniurationes eodem prid. Kal. Iunias die, anno regnantis Elisabethæ XXII duas, Romæ alteram, alteram Rhemis initam: vtrobique actum de Regina tollenda, vertendoque ope exterorum Angliæ regno. interfuisse reos, Romanæ coniurationi aliquos, alios Rhemensi. Atrox facinus efferata orationis immanitate exagitatum. Verborum vbi satis, ac querelarum visum, producuntur testes seu fortuna, seu vitijs hominum postremi: Eliottus nefaria proditione infamis, Crodocus, Sleddus, Mundæus, nomina non nisi perfidia, & scelere conspicua. Eliottus, quam in Paynum egerat de coniuratis quinquaginta, peragit fabulam; eos ad necem, præter Reginam, Lecestrium etiam, & V.Valsingamum designasse: Ea perpetrata nobilem virum vitam Mariæ Reginæ magna voce precaturum: ceterum cui eius acclamationis partes traditæ essent, nominatim se non comperisse. Crodocus, se dum Romæ esset in vinculis, ab Anglo homine audisse, in parte felicitatis vincula duceret longe à patria, in qua breui

nouæ

nouæ res non ſine cæde, & ſanguine eruptu-ræ eſsent. Eandem turbarum prædictionem auditam ſibi aiebat Sleddus; cum Romæ neſcio cuius nobilis viri famulus eſset: neque puduit profligati pudoris hominem palam fateri perfidioſe religionem ſimulaſse ſe Rhemis; quo exulum, qui ibi per Anglici collegij occaſionem frequentes erant, vultus, voces, facta impunius, & accuratius obſeruaret. Mundæi teſtimonium paucis tranſactum: adeo enim exile, futileque fuit, vt neque quid attulerit, notatum inuenerim. Iam obiecta diluendi tempus aderat. Exorſus dicere Campianus; non inepte Iezabelis, & Achabi ſcelerata aduerſus Nabothem iudicia memorauit: cui hæreditarium prædium, quoniam alia arte non poterant, confictô crimine impietatis, illataque per iniuriam nece eripuerunt. Coniecturis inde, argumentiſque illuſtribus totius accuſationis vanitatem detexit; adeo vt nemini dubium fuerit, illum nulla ſuſpicione tanti ſceleris attingi. Ea probata maxime confutatio, quod plerique ex ijs, qui conſpiraſse dicerentur, ne de facie quidem inter ſe ante eum diem, quo ſimul è vinculis cauſam dicebant, noti erant. nonnulli eo tempore, quo conſpiratio inita iactabatur, longe alibi, quam Romæ aut Rhemis egiſsent. quod idem poſtridie eius diei Thomæ Lancaſtrij, & Gulielmi Nicolſoni hominum domi ſuæ non ignobilium

bilium testimonio plane compertum est. Thomas iureiurando testabatur, Colingtonum ex reis vnum illis, qui postridie causam dixere, quo tempore coniurasse diceretur in Gallijs, secum intra regni fines collocutum. Gulielmus cum eodem modo reo alteri (nomen non traditur) subuenire conaretur, pestem, quam ab illo non depulit, creauit sibi. nam cum hinc conscientia innocentiæ miseri illius stimularet, inde spem successus dicti pro Colingtono à Lancastrio testimonij felicitas faceret; ausus est iudici publice appellato promittere testaturum se de reo alio idem quod Lãcastrius de Colingtono testatus erat. Curiose proinde interrogatus, Romanum sacerdotium fassus, in vincula duci extemplo iussus est. Accusationis capita post hæc iudex breui de more, ad XII viros, post paulo ad deliberandum discessuros conuersus, colligit. Idem facit summa cum præsentis in tanto discrimine animi laude Campianus. adijcit singulorum capitum breuem adeo, aptamq; confutationem, vt iam inter ipsos Protestantes, qui aderant, sponsionibus ingẽtibus certatum sit; multis magna mercede contendentibus, absoluendos sine dubio omni suspicione criminis à XII viris reos, præcipue Campianum. Sed bonis illis viris XII inter Reginam Campianumq; constitutis, hominum, non causarum cura erat; quippe apud quos gratia æqui, odium iniqui vim habebat.

Dum illi specie deliberandi, ea de re quam pridem constituerant, absunt; fessum dicendo Campianum poculo ceruisiæ recreant. Redeunt ferali carmine comparato XII viri: eorum princeps Læus, nihil moratus, *Gilti* seuera voce pronunciat. Stupor tam atrocis iniquitatis reliquos defixit. Sæuitiæ minister iudex diuinam misericordiam reis sollemni more comprecatur. quærit sub hæc ex formula, numquid haberent, quod pro se adhuc dicerent? Frustra se aliquid dicturũ respondet martyr apud homines iam ante iudicium in præmeditata sententia obfirmatos. Verum si apud eos agendum esset, apud quos vllus iuris, recti, pudoris, Dei respectus foret; habere se pro sua causa illa omnia, quæ boni omnes, quotquot iam inde ab exortu generis humani extitere, afferre pro se possent. Quid enim honorificum, ac splendidum pro ijs afferri non possit, qui pro religione, ac Deo in patriam reuocando capitis arcessantur? Itaque pro aris, ac templis, pro superis, & superum Rege mortem se oppetere animis non modo æquis, sed etiam libentibus. Pergerent porro, feralem vocem meditatæ iam diu damnationis mitterent, qua non se magis, quam omnes maiores suos damnatum irent. Nihil hac oratione motus iudex capitale supplicium, quale Maiestatis compertos sequitur, decernit. Terruit alios letalis sonus, qui tamen perinde, ac euocantem

tem ad regnum audirent Deum, martyres erexit. Campianus grates Deo, laudesque occinit sacro illo hymno: *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.* non dissimilis Sheruini vox læto cum oris in cælum suspectu: *Hæc dies*, inquit, *quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Neque ab his vocibus alij dissensere qui damnabantur. nihil specie illa damnatorum erectius, nihil alacrius, vt tunc tandem intelligeres, qualenam esset gaudentem ire à conspectu concilij hominem, quod dignus habitus sit pro nomine IESV non contumeliam, sed letalem sententiam pati. Verum antequam inde discederetur, paucis Edmundus populum allocutus demonstrat, quanta sibi à senatu, ipsoque qui etiam tum adesset, Odoëno Hoptono, promissa honorum splendida, opumque magnifica forent, si in rebus non maximis aliquid eorum voluntati concessisset, vt inde certum sumi argumentum posset, non se Maiestatis, sed religionis reum capite damnari. nam quantæ amentiæ fuerat, homini seditioso, & Reginæ hosti non modo pœnam remittere, sed etiam honores, opesque polliceri eos, qui Reginæ salutem supra cetera humana omnia tuendam ducant? Perduellionis ergo crimen in speciem odio veteris religionis obiectum. quod rectene fieret an secus, alios visuros. Ab hac oratione satelles in arcem reos reducit. Dum ab aula exitur,

incredibilis hominum concursus fit, Campiani, martyrumque vel manus, vel vestem palam deosculantium. quos dein cymbis de more impositos, quando alia re non poterant, oculis lacrymarum plenis, pijsque votis ab ripa prosequuntur.

CAPVT LIV.

Senatus de martyrum supplicio anceps deliberatio.

IN carceres quisque suos reuecti martyres catenis, compedibusque ferreis onerantur. atque, vt postremæ fortunæ facilius, quia impunius illuditur, asperrime tractantur: nisi siquid priuatim Campiano sua morum, orationisque suauitas prospexit. Admiranda enim eum postquam damnatus est, fuisse oris amabilitate ferunt, qui per id tempus illũ adiuere. orationis vero suauitate tanta, vt loqui Angelum non mortalem hominem, dum Campianus loqueretur, custos eius, corruptæ homo religionis, palam diceret: frustra fremente, & libertatem ingenui laudatoris castigante, non sine minis atrocibus, Hoptono. Ipsi interim martyres intentiore cura postremum suum Deo certamen, pijsque amicis commendare: munuscula inter se, quæ confertim mittebantur, distri-

buere: quaſi parata victoria inuicem gratulari. Senatores contra regios longe aliæ diſtrahebant curæ, tunc cum maxime res è ſententia peracta videretur. Neque inſontium morari ſupplicium ſinebat impietas: neque præcipitare, nota iam peracti iniquiſſime iudicij apud non hebetiſſimum quemque infamia. Refertur ergo ea de re in ſenatu. Dicuntur graues in vtramque partem ſententiæ: quarum capita non ad arbitrium conficta, ſed ab ijs Catholicis accepta, qui admotis clam auribus integras altercationes diſſidentium ex abdito audiuere, reddam. Supplicium qui à Campiano auertebant, hominis ingenium, omnis generis litteras, totius antiquitatis comprehenſæ animo notitiam, famam in omnes diffuſam late gentes, quarum aliquas etiam vſu nota viri comitas, & integritas valide cepiſſet, memorabant: quantam inuidiæ flammam ſubiturum Anglicum apud eas nomen eſſet; ſi hominem diuinis, humaniſque omnibus inſtructum laudibus, quem immortalem eſſe quicumque patriæ ſtudeat, optare debuiſſet, adeo præcipiti conſilio ſuſtuliſſent? Addebant ne iniquitatis quidem infamiam vitari poſſe: palam enim ferri, obiectum perduellionis crimen infirmum per ſe in eius ingenij reo, luculenta inſuper defenſione repercuſſum, plane euanuiſſe. publice ita iactari: nihil Campiani defenſione conſtantius, propiuſ-

que ad veritatem fieri potuisse. At Reginæ voluntas obtenditur: cui obsequi necesse sit. Hunc enim solere quorundam crudelitati titulum præstrui. Sed incidisse tempus, quo hæc effugia præcludantur. Nam cum ea maxime tempestate à Regina de Duce Alenzonio, Gallo, Gallorum regis fratre, in matrimonium ducendo ageretur, isque coram in aula, magna cum gratia, rem vrgeret, vir apprime catholicus (qua de re infra dicam) exploratum esse videbatur illam tot Catholicorum hominum indignam necem Reginæ ingratissimam futuram; cum ea Catholicæ religionis iniuria, contemptus, vexatusque Dux ipse existimaretur. viderent itaque, ne dum gratuitas inimicitias persequi se putant; magna, & publici odij aduersum nomen Anglicum, & regiæ iræ, aduersus se, mercede sæuiant. Rursum qui pœnas defensæ religionis à Campiano maxime expetebant: instare vnico argumento; quod tueri semel pronunciatam in reos sententiam decorum sibi, & vtile dicerent. nam quantam inconstantiæ ignominiam suscipiant, si tanto opere constitutum iudicium euertant? supplicium autem Campiano condonare, quid esse aliud, quam innocentem eum pronunciare? quod si fiat, quantum probri subituros se, atque Anglica iudicia, quod hominem palam innocentem tamdiu in vinculis habitum, adeo exquisitis tormentis lacera-

tum,

ſum, capitis damnari permiſerint? Inuidiam illam, quæ necato Campiano apud exteras gentes timeatur, damnato etiam tantum, eſſe ſubeundam. quam porro vtile ſibi fore ſi iudicũ animos, eorum decreta infringendo, à regijs, publicisque oportunitatibus perſequendis auerterent? neque Reginæ iram extimeſcendam; cuius ſalutis patrocinium ea in cauſa ſuſcipiatur. neque ad Alenzonij fortaſſe curas pertinere, quam acerbe, aut leniter in Anglum hominem Anglus iudex conſultum velit. Denique ſi conſilium laudari nequeat, quia reprehendi non poteſt, non deſideretur certe conſtantia. Variantibus in hunc modum ſententijs, plures dies ea deliberatio tenuit. Vicit tandem Gulielmi Cæcilij auctoritas, qui eandem Sanderi, & Campiani cauſam eſſe iudicando; quid in illum ſeditionis ducem decerni oporteret, huius ſupplicio declarandum cenſuit.

CAPVT LV.

Iterum in ſenatu de maturanda nece martyrum ſtatuitur.

NEque is conſultandi finis fuit. quoniam de necandis inſontibus conſilium ſteterat; de necis tempore inita deliberatio. Alij differendum, alij etiam repræ-

ſentandum ſuppliciũ decernebant. illi, quod Alenzonij honori dandum ducerent, ne religionis ſuæ contumeliam pene oculis ſubiectam aſpiceret: præſertim cum Galli quoque regis animum, fratris ſcilicet iniuria commotum, alienari poſſe non abſurda ſuſpicio eſſet. Principum virorum oculos neſcio quid inſtar clementiæ habere, quibus etiam noxiorum ſupplicia iure pene gentium ſubtrahantur. Dum ergo ille in aula, atque adeo in regno moraretur, placere reos arcta cuſtodia clauſos meritæ, in tempus aliud, neci reſeruari. Alij, quos & maius Catholicæ dignitatis odium, & propria aduerſus Alenzonium ſimultas, aut inuidia inflammabat; necem maturandam, contendere; latrones ſemper ſero extingui. multa interuenire beneconſtitutis poſſe. Catholicos homines iam Cæſaris, aliorumque externorum Principum aulas permiſcere, quo illorum gratiam mitigandæ Reginæ, ſubtrahendoque debitis pœnis Campiano interponant. alienorum regum gratiam, ſuæ Reginæ miſericordiam, ſontium meritis pœnis præuertendam. Adde, factioſis hominibus, quales Catholici eſſent, affligendis nihil oportunius fore, quam ſi ne Principum quidem quantumuis gratioſorum patrocinio tutos ſe eſſe animaduertant. quod tum demum liquido cognoſcant, cum vel ipſo inſpectante Alenzonio, eorum ſignifer Campianus per vltimos cruciatus

peri-

perimatur. Hæ palam iactatæ causæ. At interiores longe aliæ fuere. odium auitæ pietatis primo, tum Alenzonium vlciſcendi, affligendique libido. illa in propatulo erat: hæc vnde ortum duxerit mox tradetur. Ergo poſterior hæc ſententia, quia immanior fuit, quia Cæcilij auctoris ſæuitiæ congruentior, obtinuit. Dicitur ergo proximum Sabbatum Cāpiano tollendo dies; propterea quod ſolemnes eo die nundinæ ad martyris ignominiam aptiſſimæ videbantur. Illi collegas decernunt ex omni numero duos, Briantum, & Sheruinum. tres infeſtas ſibi familias triū alumnorum infami cæde plectere conſilium erat: Societatem IESV in Campiano, Anglorum collegia duo; Rhemenſe in Sheruino, in Brianto Romanum ſe raptaturos credidere. Hoc vbi decretum innotuit, quia forte is Sabbati dies in Andreæ Apoſtoli peruigilium inciderat, ingentem in martyrum animis alacritatem excitauit. iamq; inter familiaria colloquia Andreæ illud vſurpabant, *O bona crux*. Non latuit nimis plauſibile hoc dictum ſenatores, in Kal. ergo Decembres, frementes ira, ſupplicium martyrum diſtulere. Solitæ interim artes non omiſſæ, & conſtantia iterum clam tentata, & traducta palam. Hoptonus incolumitatem, opes inſuper, ſi quicquam de religione remittat, pollicitus; ſororem etiam Campiani, quæ eum triduo ante mortem inuiſit, ſollicitare ag-

greditur: fratrem vti ſpe magni cenſus (centum Anglicas auri libras promiſſas ferunt) ab obſtinata moriendi ſententia abducat. Sed ille cælo iam imminens, humanas plane curas exuerat. Hinc ad calumnias tranſgreſſus, qua ſolebat impudentia, manus ſibi Cãpianum, ignominiæ impatientia, an conſcientia agniti ſceleris admouiſſe, fictis ſermonibus in vulgus ſerit. His fabulis in præſens apud multos Campianum, ſe in omnem poſteritatem apud omne genus hominum fœde traduxit.

CAPVT LVI.

Alenzonius in Anglia Eliſabethæ matrimonium ambit.

QVibus curæ eſt Principum ſtudia altius rimari, aulicaſque noſtri æui artes cum veteribus conferre: nullam à Tiberiana illa aulà propius abfuiſſe, quam Anglicam Eliſabethæ regiam pronunciant. Fuit Eliſabethæ ingenium ſupra quam æſtimari poteſt voluptatum expetens: quarum ſine metu fruendarũ cauſa dominationis auida in paucis fuit. Adeo vt non, quod plerumque euenit, voluptatũ licentia, quaſi ex corrupto per ſummam poteſtatem animo, regnantem Eliſabetham ſubuerterit: ſed contra voluptatum

libido marcidum fœminæ pectus ad inuadendum imperium excitarit. Ea de causa non ad propagandos regni fines, sed tuendos intentæ curæ: neque quam late, sed quam secure imperaret, propositum habebat. Illud enim non nisi virile, & exercitum: hoc geniale, & voluptarium vitæ genus patitur. Eius hoc ingenium, qua erat perspicacitate, plane intelligens Gulielmus Cæcilius; sub ipsa principatus initia, & impietatis patrocinium, ac professionem, & malas deinceps omnes tuendæ maiestatis artes fœminæ vitiorum non indocili instillauit. Primo enim Romani Pontificis potestatem ne agnosceret, obiecto amittendi regni metu persuasit. non semel enim à Romanis Pontificibus etiam antequam nasceretur, regno illam exutam esse, dum Henrici Octaui, Annæque Boleniæ Elisabethæ parentum coniugium damnant, quæque ex his oriretur, vt illegitimi tori prolem, à regnandi iure alienam iudicant. Illorum ergo si auctoritatem sibi sequendam putet, regno excedendum esse. Hæc primo trepidanti mulieri tradita. inde longa malorum series, magnusque fraudum, ac insidiarum, per omnia simulationum, dissimulationumque abdita, implicati nexus. Hispaniarum regi Philippo eius nominis II quia ad Romani Pontificis obsequium videbatur esse propensior, non multum fidebat. Ab Henrico, qui Secundus item eo nomine inter

Gallos

Gallos reges censebatur, hæreditarijs Gallorum, Anglorumque odijs, insuper quod Scotorum reginæ Mariæ causam palam fouerat, capitali odio dissidebat. Scota enim, Galli filio Francisco iam nupta, Elisabethæ pudendos, damnatosque natales aspernata, Maria Elisabethæ sorore mortua, Angliæ regnum arrogabat sibi. Fauit Henricus, omnique nurus domestico instrumento Anglici regni insignia, titulis etiam Angliæ regnum vti adijceretur, auctor fuit; eamque ipse omnium primus Angliæ reginam salutauit. neque proinde dubium, quin turbarum caput, Mariam ipsam Scotam tum regni finibus, tum cognatione proximam, vt regni palam æmulam supra ceteros odisset. Horum omnium arma, ac vires cum haud sane iniusto metu formidaret, distinere varijs artibus initio principatus aggressa est: Caput consiliorum fuit, intestina bella apud eos, à quibus timebat, serere. nihil apud quemquam pacati, nihil quieti sinere. ita iniqua aliorum vexatione suam securitatem redimere. Improbum consilium felix etiam numine sæuiente fuit. Galliæ, Scotia, Belgium, per speciem nouandæ religionis ingenti tumultu concussæ, Gallum, Scotam, Hispanum, cui Belgica parebat, domi coërcuere. Nec simplici dolo contenta multos Principes nuptiarum spe, ac pollicitatione, & sibi delinijt, & in alios incitauit. Vt non absurdum docti

cuius-

cuiusdam Angli dictum percrebuerit, senatores Anglos suam Reginam perinde atque canem fæminam habere: qua iratis Principibus quasi infestis canibus in spem Veneris obiecta, latratus eorum omnes, irasque compescant. Ita Principibus tum Anglis illusit pluribus, tum externis, certa ipsa interim nulli nubere; siue quod vagos amores inexaturabilis libido appeteret: siue quod dominationis socium toro coniuncto metuebat: siue quod gloriam pudicitiæ præcisis legitimis, occultatis vetitis voluptatibus, apud posteros affectabat: siue quod ambiri suas nuptias à pluribus muliebri leuitate, & arrogantia pulcrum sibi, & decorum ducebat: siue quia reliquarum turpitudinum patientissima, virum tamen recipere non poterat. Ea tunc arte Francisci Valesij Alenzonij Ducis, Galli regis hic frater erat, adolescentiam irretiuit. Nulli certe spem propius admouit. in Angliam euocatum, incredibili honore exceptum, in regia lautijs publice præbitis diu lactauit, donec Belgicam occupare prius iussum, è regno specie honoris exegit. Is ergo quo tempore de necando Edmundo agebatur, nuptiarum spe blande suspensus, hærebat in regia, quibusdam gratus procerum, pluribus inuisus. Quamquam dum Regina nuptijs animum serio adijcere credita est, gratia, & fauor proceribus omnibus in promptu fuit. Neque gratiæ tamen, neque odij

causa

causa omnibus eadem. alij æmulationem potentiæ, quam sibi vsurpabant senatores ij, qui formæ, ætatisque flore Reginam ceperant: alij Regiæ prolis amorem fouendi Alēzonij causas habuere. qui ex occulto oderant; vel nouæ religionis occasum, vel cum ea suarum opum ruinam metuebant: in queis Gulielmus Cæcilius fuit. Quidam eripi sibi deuoratum iam animo siue coniugium, siue stuprum Reginæ angebantur. Dudlæus, & Hattonus hi fuere. impotentius Hattonus, qui flaccescente iam cū ætatis defluxu, riualis Lecestrij gratia, proximum se regio ferebat toro; tanta coniugij potiundi spe, vt honestissimis conditionibus recusatis, cœlebs, regijs videlicet expeditus nuptijs, ad vltimum viuere perseuerauerit. certè plùs posse in aula, quam probus amator, videbatur. & erat forma corporis excellente, quam munditijs etiam, & omni luxu aulico excolebat. Hunc Cæcilius disijciendis Alenzonij nuptijs ex occulto incendebat. addebat Bedfordiensis Comes, hæreticorum acer propugnator, stimulos; non modo studio hæresis tuendæ, sed etiam priuata accensus iniuria. quod Gulielmo Stubo, sibi ab epistolis dextra publicè præcisa manus esset, ob editum aduersus Alenzonij, Reginæque coniugium, mortiferæ libertatis librum. Hæ maturandæ martyrum neci inspectante Alenzonio causæ, plerisque senatoribus fuere: cum infringi eius

aucto-

auctoritas, tanto in eius oculis inflicto Catholicæ causæ vulnere, videretur. quamquam longe aliæ palam prætendebantur. frangendos ea Catholici Principis contumelia spiritus Catholicorum, vlciscendas vexatæ suæ religionis toties iniurias, satisfaciendum pseudoëpiscoporum postulatis; qui cum se maxime Campiani libellis afflictos, traductosque fremerent, senatorum conuicijs non parcebant: quos in persequendis violatæ religionis pœnis negligentes, non impune laturos Deo vindice publice prædicabant.

CAPVT LVII.

Probrosam in Christi causa mortem Campianus oppetit.

AFfuit tandem non hostibus, quam martyri, optatior Decembrium Kalendarum dies: quem sacro illustraturus triumpho omni genere gratulationis illucescentem salutauit. E sua eductus cella Sheruinum, & Briantum collegas victoriæ designatos, ad Collarbatum (loci intra carcerem nomen est) offendit. Eos arcte complexus, de rebus cælestibus, parataque palma colloquium instituit, quod vt opinione longius traheret, vltima Hoptoni barbaries effecit. Etenim ille, vt Edmundi supremis illuderet, bubulum thora-

thoracem, quo diſſimulandi ſacerdotij gratia vſum eum eſſe conſtabat, arce tota quæri iuſſerat. mens erat homini in ſæuitia contumelioſo, toga detracta, militari ornatu martyrem ad ſupplicium raptare. Multum diei proceſſerat: populíque multitudo, quantam haud temere alias collectam ſenes meminerant, ſpectaculo confluxerat. Fruſtratus interea vana thoracis conquiſitione Hoptonus produci cum ſua illa Hibernica Chriſti martyrem permiſit. Terrere eos, qui ducuntur ad necem, ſpectatorum concurſus ſolet; & is martyrem recreauit. Circumductis leniter oculis: Deus vos, inquit, omnes ſaluos, & Catholicos velit. Inde pleriſque collacrymantibus, renidens ipſe prouoluitur in genua ad Orientem verſus, breuique prece tacitus poſtremam pugnam vero illi Orienti, qui tunc ſibi maxime aperiebatur, commendauit. precem noto illo carmine concluſit: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*. Vimineæ crates humi iacebant duæ equis duobus illigatæ. In alteram ſupino toto corpore Sheruinum, & Briantum ſæuiſſime conſtrictos conijciunt: vnicum Campianum in alteram: etiam hac honoris ſpecie ad contumeliam, probrumq; cæleſtis militis abuſi. It tota vrbe feralis pompa: interque hoſtium etiam, quos vltima rabies non efferauerat, lacrymas, ac gemitus longa raptatos via ſub ipſo tandem patibulo martyres

conſti-

constituit. Nihil molestius letali toto illo itinere, quam importuna ignobilium Ministrorum ad defectionem hortamenta, sanctis Christi militibus accidit. singulas crates sui ex fæce concionatorum rabulæ sequebantur, magna voce nescio quid pro salute, vt aiebant, animorum inculcantes. Mirum illud traditur: non defuisse, qui tot inter stipatores, confertæque multitudinis angustias aditum ad cœnum ex sacro Campiani ore abstergendum inuenerint; quo conspergi, dum lutulenta, fœdaque raptatur via, necesse fuit. Hoc vero fortasse admirabilius, ausos esse non paucos conscientiæ ad eum quæstiones eo ipso tempore, dum traheretur, deferre. Illud tandem pene supra fidem, quod consulentibus ipse quasi tunc maxime omni solutus cura, prolixe, accurateque satisfecit. tantum ingentis animi inuicto martyri superfuit. Vbi ad furcas crates constitit, plaustrum iussus est omnium primus conscendere Campianus, laqueoque ceruicem inserere. Id vbi obedientissime fecit, recepto paululum spiritu ad infinitam ex omni hominum ordine, ac genere coronam verba facere aggreditur, vultu interritus, voce constans, miseranti, quam misero, vicinior. Exordiũ ab ijs Apostoli Pauli verbis duxit: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*. Id cum sibi eo maxime tempore conuenire diceret, orationemque partiri,

quam dicturus erat, inciperet; silere iussus est à magistratu, Franciscoque Chnolesio, qui inter senatores Reginam arcta affinitate contingebat. de perduellione potius, cuius daturus mox pœnas foret, loqueretur. Nec distulit calumniam, vultus, orationisque constantia, reijcere. suæ innocentiæ eos ipsos, si quis veritatis, Deique respectus esset, testes appellans, qui tunc scenæ, ac populo seruientes, nescientium personam induissent. Perculit hæc, propinqua iam morte, tuta libertas, procerum, qui aderant, obnoxios animos. E senatoribus tamen aliquis, ne conscientiam silentio fateretur; rationibus, ac testimonijs Campiani scelus comprobatum satis esse succlamauit. Verum ille superuacaneis, quæque nullum finem alternis obijciendo, negandoque inuenirent, supersedendum ratus; causæ cardinem versans,
„ Quocumque tandem modo res, inquit,
„ habeat, vir præstantissime, Catholicum me
„ sacerdotem esse profiteor, religionemque
„ Catholicam hoc ipso, quem daturus sum
„ sanguine, tueri, ac veram testari non dubito. Addit XII se viris, qui labi facile rerum ignoratione potuerint, reliquis item, qui in suam conspirarint necem, omnes iniurias condonare, ea æquitate animi, qua sibi ab omnibus, si quid vspiam offendisset, vicissim ignosci cuperet. Sub hæc sententiam epistolæ, quam ad Poundum dederat, plane aperuit.

ruit. In ea enim quod scripserat, se quæ secreto commissa sibi forent, nulli hominum vnquam vlla vi tormentorum enunciaturum: fecerat suspicioni locum. non enim defuere, qui, vt supra notaui, rem totam ad arcana conspirationum, iniqua, sed in vulgus probabili interpretatione detorquerent. Iis ergo verbis nihil aliud significasse se docuit, nisi ea se, quæ in Catholicorum Sacramentorum, Pœnitentiæ præsertim, mysterijs celari fas esset, aduersus omnes omnium quæstionum acerbitates suppressurum, quod adhibita æterni cruciatus, si falleret, imprecatione confirmauit. Postremo testatus Ricardsonum (pium hominem, eoque regijs inuisum) falso accusatum, damnatumque esse: alienis perfunctus curis, summo certamini per intentas ad Deum preces parare incipit se. Ceterum neque hoc diu quieto licuit. quod enim nihil adhuc, vnde adstanti vulgo persuaderi noxa damnati posset, ex casto illo ore expresserat magistratus: ea gratia magnopere angebatur. ergo Hernum nescio quem ludimagistrum ex ante composito admittunt. speciosam aduersus reum fabulam is promiserat: ceterum adeo luculenta attulit mendacia, vt ipsos fabulæ auctores tam infelicis impudentiæ puderet. Eum igitur illico auersati: ad postremas, notasque captiones, de Pij Pontificis aduersus Reginam edicto reuertuntur. promat, quid de

illo ſentiat. Tacere perſeueranti, ſiue quia Deo adiunctus ægre mortalia ſentiebat: ſiue quia non neceſſariam ancipitis periculi quæſtionem conſulto fugiebat; inſtant, paratus ne eſſet à Pontifice deficere? Hic cum mira animi æquitate nil aliud, niſi ſe Catholicis initiatum ſacris, reſpondiſſet: iam ſatis perduellionem faſſum eſſe reum, quidam ex hæreticorum numero clara voce collegit. Vno enim Catholicę religionis nomine omne Maieſtatis crimen contineri. Tantum eſt Caluinianæ Dialecticæ acumen: & theatrum tamen, & plauſum habuit aliquando, & dum in hominum ſcelera Deus ſæuiet, habebit. Inter hæc alienato à conuicijs animo ſupremum epoturus calicem tacite Deo cum ſupplicaret martyr, importunus Miniſter ſecum vt preces communicet, ijs ſaltem verbis, *Chriſte miſerere mei*, obſecrat. Eam quoque peſtem ille leniter accipiens; permitte me quæſo, inquit, mecum, & cum Deo agere: ſcis nobis in religione non conuenire. neminem à prece prohibeo. Verſus inde ad multitudinem, Tũ vos, inquit, qui mecum in religionis cauſa ſentitis, Apoſtolicum Symbolũ pronunciate, ſi videtur. Id vero martyr eo conſilio fecit, vt pro ea ſe fide, cuius capita Symbolo illo comprehenduntur, animam efflare teſtaretur. Hæc vbi dixerat, redit ad preces. Verum quia necdum, vnde falſi criminis ſuſpicio concipi poſſet, ij extor-

ſerant, quibus id curæ erat; rurſum quaſi innocenti poſtulato hortantur, à Regina veniam vti tandem petat. Non fefellere artes, quem machinæ non fregerant. Cuius autem criminis, inquit, veniam? Ego nihil in eam me peccaſſe ſcio, teſtatusque ſum alias: quod etiam num poſtremis his verbis moriturus teſtor. Quin & ei ſalutem non ſemel à Deo precatus, nunc etiam, cum extremum ipſa iubente traho ſpiritum, precabor. Simul hoc pronunciauit, palam precibus exquiſitis Reginæ ſalutem commendat Deo. Mitiſſimi hoc animi, minimeque pertinacis argumentum dici non poteſt quantum beneuolentiæ apud proceres morienti conciliarit: vtique poſteaquam res tota oportuna Caroli Hauardi interrogatione facta eſt illuſtrior. Is quam Reginam loqueretur, querit inſtanter ab Edmundo, num eam, quæ tunc imperium in Anglos obtineret? Illam ipſam, ſubijcit Campianus, Eliſabetham, meam arbitror, veſtramque Reginam. Interea dum ille cælo iam intentus cum Deo eſt: ſubducto cui ſuperſtabat curru, laqueo compreſſis faucibus pauliſper pependit. Abſcindere laqueum carnifex propere cum vellet, vt ſpirantem adhuc, aut ſemiuiuum, quod in Catholicorum ſupplicijs conſueuere, diſſecaret: magnorũ qui adſtabant virorũ imperio prohibitus eſt. Exanimis, præciſo fune cum decidiſſet; ſpoliatur. pectore diſſecto præcordia

palpitanti auulsa, in ignemque coniecta; corpus exangue in partes dilaceratum quatuor. ex feruenti aqua elixæ, consuetis vrbis locis spectaculum alijs iucundissimum, luctuosum alijs, plerisque miserandum præbuere. Ita Edmundus Campianus abruptis mortalitatis vinculis victor in cælum euolauit ex ea ipsa vrbe, in qua ante annum quadragesimum mortalis vitæ carceres erat ingressus. Vir in omni plane vitæ parte admirabilis: ingenio placidissimo, vt nihil improbabilius in eum confingi, quam seditionis, turbarumque crimen potuisse, qui eum notum habuere, omnes iudicarint. Neque tamen in suscipiendis diuina causa laboribus timidus, neque in ferendis mollis. Inediæ, frigoris, ærumnarum omnium patiens ad miraculum, obedientiæ tenax in paucis. quam ex demissione animi incredibili ortam agnosceres: quæ quia diuina virtus est, cum excelsitate item animi in Dei seruis aptissime coniungitur, idque in Campiano perpetuum fuit. Nihil enim ille rerum mortalium magnum, nihil vnquam admirandum existimauit. eam vero mentis altitudinem procul ab omni arrogantiæ, & superbiæ suspicione ipsa vultus, totiusque oris amabilitas arcebat. Ingenij perspicacitate fuit summa: memoria felicissima: quæ cum diligenter in optimarum cultu disciplinarum exercuerit, summas obtinuit: vt Tarraconensis Episcopus

auctor

auctor ſit, diu eos, qui Oxonij inter ceteros excellerent, Campianicos appellatos. Lactea fuit patriæ linguæ eloquentia. Dum latine diceret, forte quia meditatius, acrimoniam adiunxit. His dotibus, artibusque adeo ſibi notos omnes, ignotosque deuinxit, vt deliciæ Anglici nominis crederetur: neque ſine illuſtri teſtimonio publicus is amor fuit; etiam cum eum amare capitale videretur. mitto reliqua. Cum ad eius ſpectandum ſupplicium prorſus quanta nunquam alias, non promiſcui modo vulgi, ſed nobilium etiam virorum multitudo confluxiſſet: vbi ſubterfugiente plauſtro Edmundus defluxit; tantus ſubito adſtantis totius gemitus populi, fletuſque exauditus eſt; vt ad communis parentis celebrandum funus, non ad perduellionis rei ſupplicium ſpectandum conueniſſe Angliam diceres. Eaque vel maxime cauſa fuiſſe creditur, cur nonniſi extincti deiectus, & diſſectio ab ijs, qui aderant, primoribus, popularem tumultum fortaſſe veritis, carnifici permitteretur. Denique ciuium ſuorum bono natus dici iure poteſt Campianus: eorum quippe non paruam manum vita, morte vero fortaſſe maiorem, longe autem maximam ſcriptis libellis Deo adiunxit; atque porro, vt eſt in ſuis lucubrationibus æternum viuax & operoſus, adiunget.

CAPVT LIIX.

Diuersorum de Campiani seu vita, seu morte iudicia.

ERgo facile fuit tantarum laudum præcones inuenire, neque inter Catholicos, amicosque modo, verum etiam inter hæreticos, atque hostes. Incipiamus à nostris. Antonius Franciscus Mariæ Augustæ, idemque Campiani in Germania Confessarius, nullum in eo se perturbationis vnquam signum; omnia paupertatis, obedientiæ, modestiæ exempla animaduertisse prædicabat. Addebat conscientiæ puritate fuisse supra quā credi posset, admiranda. Neque de ignotis se rebus loqui, cum eius diu accuratissimas confessiones arcanorum omnium, non modo peccatorum excepisset. Virginitatis florem nulla vnquam macula aspersisse, omnium, qui eum familiarius nouere, constans opinio fuit. Stanursthij, Hibernorumque ea de re testimonium supra posui. Nihilo obscurius Germanorum. Ex ijs fuit, qui Ambrosianæ eius tragœdiæ hunc indicē præfixit: *Ambrosiana tragœdia, autore Beato Edmundo Campiano, Græco, Latino, Poeta, Oratore, Philosopho, Theologo, Virgine, & Martyre.* occultius alius, quia per notas, & insignia; cœterum idem virginitatis, & martyrij, Ed-

mundo

mundo decus adſcripſit: & quidem antequam ille pro aris, & ſacris caput daret, & ſanguinem. Ex quo teſtatam morum eius ſanctimoniam colligas: cum anticipata martyrij deſignatio in eum cadere non ſoleat, qui voluntario, & incruēto, violento, cruentoque nauiter non præluſerit. Ea res peracta hunc maxime in modum eſt. Vſitata ſunt ad acria hyberni cœli mollienda frigora toto Germaniæ, Borealiſque plagæ tractu vaporaria, quæ græca voce hypocauſta vulgo nominant. Conclauia hæc ſunt diligenter vndique concluſa, niſi qua vitreis feneſtris diem admittunt; ſed omnino diem; ſine vllis cœli ſeu triſtis, ſeu iraſcentis iniurijs. Iis conclauibus non inferne, vt veteribus, in conſimilium extructione cellarum architectis placuit, ſed ad latera ignes applicantur hac ratione. Ad perfoſſum cubiculi, hos ad vſus deſtinati, parietem, fornaculam fabricantur. Eius præfurnium extrinſecus patet: teſtudo tota intra ipſum, quod vaporandum eſt, cubiculum, eminet. Huic fornaculæ ingeſtus ex præfurnio ignis per concalefactam teſtudinem, cellam ipſam ita calefacit, vt Arctoas inter illas, rigidaſque brumas, vernos mitioris cœli tepores, & ſi libeat, calores etiam æſtiuos, neutiquam deſideres. Nam pro arbitrio augentis, minuentiſque appoſitos fornacis ignes, modo vehementius, modo lenius hypocauſta incaleſcunt,

Ha-

Habentque hoc vel præcipuæ vtilitatis, quod qui ijs vtuntur, procul à molesto, & sæpe insalubri propioris, apertique ignis adspectu, afflatuque, non otiose, vt apud nos accidit, dum ad focum, ignesque assidemus, tempus terere coguntur; sed pulso per æquabiles cœcorum ignium adspirationes frigore, totaque hyeme exulante, liberas habent mentis omnes, corporisque, prout cuiusque ingenium est, exercitationes. Atque, vt facile lauti homines conciliatricem deliciarum etiam necessitatem habent; effecit ingeniosa earum gentium elegantia, vt fornacularum illæ testudines, & gibberosæ proiecturæ, quæ ad deformandas factæ cellas videbantur, ornamento seruiant. Eas enim spectanda varietate conuestitas, modo in turres, modo in campanaria, aliquando in speciem arcium, aut propugnaculorum, aliorumue talium efformant, tanto ludentis artis lenocinio, vt qui necessitatem ignoret, quæsitas putet otiosæ elegantiæ delicias. In huiusmodi conclauia etiam religiosarum familiarum viri hyeme se abdunt, vt suis vacent, seu litterarũ, seu rerum aliarum studijs. Societatis IESV certe Patres, sua singulis loca in hypocaustis assignant, vbi mensula, sella, quæque alia, suo cuique artificio, sunt opus, appositis, taciti, quæ iussi sunt, peragant. Dum ergo Pragæ degeret Edmundus, in ea hypocausti parte, quæ illi ad studendum obtigerat, qui-

dam

dam è socijs, qui eum probe norat, lilium, & palmam innexis frondibus, caudicibusque depinxerat, insignia virginitatis, & martyrij; eo situ, vt sedentis capiti prorsus impenderent. Aduertit ex aliorum frequenti contuitu, subrisuque factum Campianus, vir alioqui, quod de Sancto Bernardo fertur, oculis incuriosis: & quoniam autor etiam quærenti innotuit; amanter ex illo non sine modica querela, facti causam scitatur. At ille qui non minus Christianæ humilitatis in Edmundo decus, quam quarum insignia laudum depinxerat, mirabatur: ne aut pudorem incuteret, aut indignationem cieret hominis ad solas suas vel erubescentis laudes, vel irascentis: temere id à se factum respondit. Ita non minus dum laudes loquendo supprimit, quam dum pingendo expresserat, laudauit Edmundum. Sed hi domestici fortasse laudatores sunt, & amici. veniamus ad exteros, & hostes, quos in Campiano prædicando articulatim nostris accinuisse, proximum miraculo est. Eius ego rei exempla nonnulla dabo. Angelum Antonius Franciscus Augustæ Confessarius, de quo supra memoraui, hospitesque Dublinienses in Hibernia Campianum, vt dicebam alias, appellabant. Idem illi cognomentum carceris custos homo Lutheranus imposuit. Forte enim ita accidit, vt in eũdem carcerem Campianus primo, dein Hortonus, qui Campia-

no torquendo præfuerat, iuſtas ab eo pœnas exigente Numine, conijceretur. Angeli ergo ſibi prius, tum vero Diaboli cuſtodiam obtigiſſe, idem, qui vtroſq; cuſtodierat, affirmauit. Virum laudis omnigenæ, & inæſtimabilium bonorum, inſignis olim Catholicus concionator, Campianum dixit publice, dum hæreticorum ſæuitiam deteſtatur. Neque diſcrepauit hæreticus alibi inter primos. Eboracenſis enim pſeudoëpiſcopus, Catholicorum hoſtis non in poſtremis, Campiani condiſcipulus Oxonij fuerat: ea occaſione hominis animum, virtuteſque perſpexerat. Forte per eos dies, quibus Campiani cædes patrata eſt, Londini morabatur. Cum trahi audiſſet, ſpectare voluit. Eo ſpectaculo diu ſtupenti ſimilis hæſit. Tum quaſi alto è ſomno euigilans, ad aſſeclas, amicoſque conuerſus; Proh quantũ, inquit, bonorum hodie mane raptatur ad ſupplicium? Inſignem ſedis Apoſtolicæ defenſorem è noſtris multi dixere Campianum. Nec diſſenſere hæretici. Eum enim, dum ad necem quærunt, inuidiæ conflandæ in vulgus gratia, Summi Pontificis manum dexteram appellitabant. Iudicij, quo oppreſſus eſt, iniquitatem noſtri turmatim, & publice traduxerunt. neque hoſtes aliter cecinere. Inter quos ipſi eius autores necis, & iudices idem palam teſtari non ſunt veriti. vt intelligas quanto facilius ſit magnis in cauſis teſtem eſſe, quam Iudicem.

E XII enim viris qui reum Maieſtatis eum pronunciauere, quidam cum ea de re quærenti amico, id quod res erat, iniuria damnatum faſſus eſſet: vrgereturque porro, cur damnaſſet? Quia ni feciſſem, inquit, non fuiſſem amicus Cæſaris. Poſtridie peracti de eo iudicij cum reliquorum ſacerdotum cauſam ſupremus iudex cogniturus egrederetur, triſtis, & gemebundus, ad regios aduocatos verſus; Si res, inquit, eum, quem heſterna die curſum cœpit, tenere pergat; male vereor, ne de noſtra exiſtimatione actum ſit. Tantam Campiani innocentia reliquorum innocentiæ lucem attulerat. neque id peracto ſolum iudicio agnitum, præuiſum etiam antequam inſtitueretur. Ex XII viris quos priore actione ad pronunciandum de Campiano, ſocijsque de more delegerant, duos ad indictam iudicij diem non adfuiſſe tradunt, qui recentiſſime ab re geſta editi ſunt Anglis auctoribus commentarij: quod tantum ſuſcipere in ſe nefas proditæ iuſtitiæ, homines alioqui hæretici non ſuſtinuere. Poſteriore actione, qua ſententia ferenda erat, celebritate rei excitus, ſpectator inter ceteros conuenerat, auditorque, is qui ob inſignem patriarum legum ſcientiam Iuris Anglicani parens vulgo appellabatur, Edmundus Plouedenus. Erubuit hominis prudentiam, ſcientiamque male ſibi conſcius animus regiorum: itaque è conſeſſu, ac multitudine euo-

catus,

catus, abeſſe ab eo iudicio homo id ætatis, ac famæ iubetur à iudicibus, non reputantibus in ipſo tam arrogante metu trepidantis faciem iniquitatis, quam occulere vellent, aperiri. Superuacaneum fuerit poſt ipſorum iudicum teſtimonia, reliquorum iudicia memorare. Compertum habeo, ſponſiones magna mercede initas ab ijs, qui abſoluendum Campianum fore incerta dum re certo ſibi perſuaſerant; quod & ſupra narraui. Hoc addo. Iuris patrij peritum, qui actioni interfuit, hominem hæreticum, Thomas Fitzherbertus exprobrantis more cum interrogaſſet, Hæccine igitur veſtra iuſtitia eſt boni Proteſtantes? Edmundum Campianum virum innocentem ſeu iure, ſeu iniuria peruertiſtis. Nunquam, ſubijcit ille, vt verum ingenue fatear, condemnandum credidi. ſed narro tibi: ferenda res eſt, ius, legesque regnandi in eo iudicio ſolæ valuerunt. Demum occultis primo colloquijs orta, mox pene publicis ſermonibus ita facti iniquitas palam increbuit, vt diſſimulari non potuerit. Aprili ergo ineunte populum ſenatus edicto monet, iure tres martyres necatos eſſe: ita Reginam ipſam teſtari, cui credi oporteret. Ceterum ſopitam libertatem edictum accendit: ineptam excuſandi ſceleris diligentiam inſuper pro confeſſione omnibus vulgo accipientibus. Vnum eſt in quo noſtri, atque hoſtes diſcrepant. Quod eum martyrem eſſe

hoſtes

hoſtes voce tantum negant, re affirmant. cum faſſi ex ijs multi non ſemel ſint eum Romanæ ſedis odio concidiſſe. Noſtri non rem tantum agnoſcunt, ſed nomen etiam vſurpant. Æneis excuſa typis Romæ, Lutetiæ, alibi, eius perinde ac pro religione morientis hiſtoria venijt. Lutetiæ quidem tanto cum dolore ciuitatis publicata eſt, vt Eliſabethæ ad Galliæ regem legatus VValſingamus, multos ſe dies domi continuerit, incitatæ multitudinis iras non iniuria veritus. Nam Romæ etiam in Anglorum templo inter ceteros egregie pro fide Chriſtiana ad cruorem vſque certantes in Anglia martyres, ferendo pugnans Edmundus pluribus tabulis publice ſpectatur. Neque vſquam de eius rebus fortiter in Chriſti cauſa toleratis commentarij, hiſtoriæue prodiere (prodiere autem pluribus linguis plus duodecim) quin martyris titulum prætulerint. Bernardinus certe Mendoza; qui per ea tempora legatus Hiſpani Regis apud Eliſabetham degebat; quibus litteris de ea nece ad Philippum Regem perſcripſit, nobiliſſimum martyrem appellare, neq; quemquam illuſtriore iam inde ab Apoſtolorum ætate perfunctum martyrio profiteri non dubitat. quod idem non abſimilibus verbis Gallo Regi Gallum oratorem nunciaſſe haudquaquã ab incerto fama eſt. Mitto, quæ multi præterea de illo vel carmine, vel ſoluta oratione, dum eius ex inſtituto

laudes

laudes persequuntur, tradidere. non enim virtutis magis testimonia haberi possunt, quam studia laudatorum.

CAPVT LIX.

Qualis eorum exitus fuerit, qui Campiano iniquiores fuisse visi sunt.

HVmanis iudicijs diuina subnectam. Neque enim dubitandum est, quin tam fœdi omnium, vel hostium Campiani, vel desertorum, quos peragam, exitus, aliquod diuinæ argumentum iræ continuerint. Incipiam à tenuioribus. Georgius Eliottus tanto scelere patrato, non (vt putauit) gratiam, sed odium suorum, ad quos transfugerat, hæreticorum expertus: impudentissime ad omnia flagitia primo delabitur (quod sanæ mentis hominis suppliciorum omnium acerbissimum videri debet) mox inter stabularios, cauponarumque mancipia comessabundus, ac ludibundus, sui, Deique immemor dum vagatur, coorta cum infimæ sortis homine inter compotandum rixa; vinaria amphora capiti illisa, inter sanguinem, merumque misere animam exhalauit. Non dissimilis Nortoni, quamuis grauior pœna; quia similis, sed nocentior animus. hic, vt

modo

modo significabam, quæstionibus, equuleóque præsertim præfectus, incredibile dictu est quantopere Catholicos discruciarit. Iactauit olim, per barbarum iocum, equulei vi, martyrem Briantum, vno, quam natura tulerat pede, factum à se esse longiorem. adeo inhumaniter inter tormenta, festiuitatem etiam, homo ferus captabat. Ceterum post egregia hæc immanitatis miracula, Reginæ odium meritus, bonis exutus, vincula illa iuste induit, quibus tam ilocaliter torserat innocentes. Neque diu fuit. inopiæ, ærumnarumque fortasse vi; sed scelerum, quod certius est, meritis exigentibus, ipse cum filia ad insaniam redactus, pudenda inter sordes morte, inops plane mentis extinctus est. Gulielmus Læus duodecimvirum princeps, ille, qui fecisse videri Campianum sacrilege procunciarat, homo fuit pecuniosus adeo, vt in media conditione, in qua ipse erat, vix fortunatiorem reperires. Prodita cum Campiano veritate, nulla euidente causa sensim concidit. bonis diffugientibus ad extremam egestatem deductus, ærumnosum senium mendicus tolerauit, multosque præterea annos in publica custodia vinctus squallorem carceris postremis inopiæ sordibus adiunxit. Neque melior VVraij supremi iudicis mors; quia nō fortuna ille quidem deserente, sed conscientia lacerante consumptus interijt. Is enim animo Catholicus, dum spe-

ciem hæretici retinet, & facta vsurpat, vel mœrore animi, vel curis; hinc ad Catholicos trahente veritate, inde in letali simulatione, perniciosa verecundia retinente; scelerum insuper, fusique innoxij sanguinis conscientia lancinante contabuit: hoc in lenta, quam passus est, longaque morte infelicior, quia perpetuæ, quam subibat, ærumnæ sciens, & pauidus, extra Ecclesiam, & spei, & vitæ finem miserabilem, sibique ipsi frustra deploratum inuenit. Iam Odoëni Hoptoni, etiam si hoc scelere se non contaminasset, lene fatum esse non potuit, hominis, in quo nihil præter audaciam in scelere insigne fuit. Sed is quoque inter iustæ seueritatis exempla numeretur. Pro fideli, fortique aduersus Campianum, ac socios nauata Reginæ opera, paulo post arcis præfectura spoliatus, fortunis euersus, Reginæ, quam Deo prætulerat, inuisus; reliquam vitam in vltima egestate infelicissime traduxit. Hæc de tenuiorum fatis exempli causa attigisse satis sit. dehinc supremas eorum necessitates tradam, qui fortuna ampliore subnixi, sæuire seu propellendo, seu deserendo innoxium, tutius posse videbantur. Ducet agmen Franciscus VValsingamus, quem ante euocatum ad superos Edmundum, regni pene moderatorem Anglia suspexit. Arcanorum Principis conscius, epistolis præfectus, allectus in senatum, splendidissimas

legationes pro Regina obierat. Incentor idem Eliotti, ac patronus, in Campiani cæde primas obtinuit: sensitque non impar meritis præmium. Sublato Campiano, filiam Essexio Comiti in matrimonium tradit. Ingratum id Reginæ, quæ cum Essexium deperiret, auersos à se ad nouam sponsam amores impotenter tulit. Eam ergo ad se salutandi gratia venientem, sua ipsa manu è scalarum gradibus Regina præcipitem deturbat. Afflixit ea clades non filiam grauius, quam patrem. VValsingamus mœrore victus animi, fœdissimo mortis tandem genere, alui purgamenta, fæcesque per os eiectans exanimatur. Iungamus VValsingamo Philippum Sidnæum, socero generum, seni adolescentem. Philippus Sidnæus omnibus, si pietatem, ac religionem exciperes, siue corporis, siue animi, seu tandem fortunæ bonis cumulate instructus ea tempestate adolescens fuit. Patre Henrico Sidnæo primum VValliæ, mox & Iberniæ prorege, matre Dudlæa Lecestrij Comitis germana ortus, generis vtrinque claritudinem ad principes Angliæ familias reuocabat. Dignam tanta nobilitate speciem, egregia corporis forma præferebat. Respondebat animus, moresque. hi omni elegantia suaues: ille per omnes nobili iuuene dignas artes excultus. Armorum, equitandique peritia nulli militum; litterarum, ac præcipue pangendi Anglici

carminis ſcientia, nulli togatorum ſecundus. Extat eius Arcadia patria lingua, laſciuientis opus ingenij, & modo ſoluta, modo vincta numeris oratione contexta, tantis rerum omnium, verborumque illecebris per Paſtorum, ac Nimpharum amores decantata, vt nihil mollius fieri poſſe tali in genere Angli perhibeant. adiunctæ his etiam nobiles canendi, pſallendique appendiculæ. Quibus artibus cum externorum etiam animos raperet, quod à ſuis vnice coleretur, in poſtremis habeo. Fortunis ipſe paternis florens, etiam duarum expectatione hæreditatum beatus habebatur. Alteram ex auunculo Leceſtrio, ex ſocero VValſingamo alteram, quaſi captata vndique fortuna expectabat. Ita enim forte illi fouendo aliorum infelicitas conſpirarat: vt neque Leceſtrio proles vlla, ſed vnica tantum ſoror, & VValſingamo vnica item eſſet filia; ex quibus illa mater, hæc Philippi coniux fuit. Hic quem olim Oxonij norat Campianum, Pragæ paucis ante annis, dum legatus Reginæ apud Cæſarem ageret, offendit. Captus, vt ceteri, Campiani familiaritate, precari ſolebat Deum, occaſionem vti ſibi de tanto viro bene merendi offerret. neque abſtinuit promiſſis: ſi quo vnquam tempore in Angliam traieciſſet, experturum, quantum Campiani cauſa vellet; non minus certe, quam poſſet. Adfuit exoptata benemerendi occaſio.

innocentis hominis causam vti subleuaret, conscij promissorum Catholici orauere sæpius. Ille seu tentata leuiter, seu ne tentata quidem damnati ope, quam sponte toties obligarat, fidem turpiter fefellit. Neque impune. non citius Campianum ipse, quam eum Deus deseruit. Defluere statim mirandum in modum cœpit: non illi idem apud exteros honos: non eadem apud suos caritas, raris coli ambientium officijs: pene nullo numero vbi prius pene regnarat, esse; ipsamet aula quæ deserebat, cur eum desereret mirante. Iam soceri, iam auunculi, parentumque fauore imminuto; regiæ beneuolentiæ iacturam facit. Per speciem honoris ex Anglia pulsus migrat in Belgium: titulo Vlyssingæ, quæ hodie Flushinga dicitur opidum in Batauis, tuendæ: reuera leuandæ aulæ causa, cui olim delicijs, tandem fastidio fuerat. Neque hic præcipitantis fortunæ ruina stetit. Dum in Belgio ad Zutfeniam impigre aduersus Hispanos prælium ciet, glande traiectus femur, defertur in tabernaculum. Inde in propinquam deuectus arcem, inter vulneris acerbitates tanta desperatione æternæ salutis interijt, vt dubitaret interdum, an Deus, an animus hominis, an pœnæ impijs, an beatitudo pijs, probisque sepositæ vllæ essent, an denique fabula sit quicquid de Deo, diuinisque rebus credendum fides Christiana proponit. Non me fallit aliter

ab alijs clari huius viri mortem tradi: ex quibus ego nonneminem in eam sententiam dissentientem audiui, vt diceret, Philippum post vulnus acceptum derelictum à suis omnibus, vnius tantum Catholici centurionis Eduardi Crispij misericordiam inuenisse; qui nobilitate iuuenis, & indole permotus in nauiculam impositum post multas rerum difficultates, in Angliam ægre trahentem animam reduxisset. Hic sordido, abiectoque in lectulo, incertum maioribus animi, an corporis cruciatibus, perpetuo gemitu, querelisque dies traducere consuetum, & noctes: Querelarum argumentum anteactæ vitæ leuitatem, desertumque Campianum fuisse. sacerdotem etiam Catholicum, qui eum pronum iam, vt videbatur, ad meliora, solemni ritu Ecclesiæ restitueret, frustra diu quæsitum: quod admiratione non caruisse, cum frequentes eo, vt remotissimo à regia loco, confluere consueßent sacerdotes. Ita florentissimum illum rebus omnibus Sidnæum, omni humana, diuinaque ope destitutum interijsse, tanta in rerum omnium egestate, vt ne funeri quidem curando quicquam copiæ suppeteret. Hæc inquam alij: quæ vt pro diuinæ iræ modo, quæ acrius nonnunquam in contumaces exercetur, vero similia videantur: ea tamen, quæ peregi, veriora, & testatæ annalibus publicis fidei viciniora sunt, quam nunquam temere mouendam puto.

to. Verum quocumque modo res habeat, horrendum certe Philippi mors ostendit esse incidere in manus Dei viuentis. Eius sane adeo miserandus, fœdusque exitus tanto Crispium, quem dixi, horrore, diuinorumque iudiciorum timore perfudit; vt ad linquendam patriam, seque vbi libere Catholicam profiteri religionem posset, recipiendum adegerit. Non sum nescius tradi & alia posse, quæ de aliorum quorundam leto memorantur, qui se Campiani cæde macularunt. Sed eos ego omittere constitui, propterea quod non magis Campiani, quam Catholicorum omnium hostes, nullo satis probabili indicio demonstrant ob eius priuatim iniurias dedisse pœnas. Quamquam & hoc video, ex ijs etiam quorum supremas calamitates, infelicemque vitæ clausulam memorauimus, multos esse, qui non vnius tantum proditi, desertiue Campiani pœnas vindici scelerum Deo debuerint. Verum hinc etiam, vel præcipue diuinam iram meruisse, & visum est alijs, & ipsorum plerique inter vltimos gemitus fassi sunt.

CAPVT LX.

Prodigia quibus Campiani seu vitam, seu mortem illustrauit Deus.

HOc ego quasi certissimum Edmundi decus postremo loco reseruaui, vt memorarem, quibus eum siue agentem summa, seu passum, prodigijs nobilitarit Deus. Enimuero mirum est, quam accurate præsignia quæque eius opera insuetis monstris, portentisque diuina prouidentia consignarit. Vt mihi non nisi sequentibus signis, vel immigrasse in patriam, vel raptus ad vincula, vel ad necem tractus videatur. Hæc enim maxime tempora diuinitus nobilitata animaduerto. Primum demandatæ illi Anglicæ expeditionis diem (fuit is nonarum Aprilium) ingens tota insula terræ motus insignem fecit. In quartam is dies incidit eo anno, peracto proxime Paschate, feriam. quo die à Generali Societatis Præposito euocatus cum Personio Campianus, adeundæ patriæ, oppugnandæque salutaribus armis impietatis mandata accipiebat. Sensit conceptum Domini spiritum hostile solum, imisque concussum visceribus, vel quid immundis inferorum Angelis, quorum tyrannide premebatur, timendum esset præsagijt: vel

quantam parturiret Angliæ salutem Roma, significauit. Londinum præcipue motus ille concussit. Insolitum ijs regionibus malum etiam si magnitudine non excelluisset, poterat insigne existimari. Sed addita magnitudo; quæ suetis etiam tremere vrbibus insueta potuit videri. subsultare solum, nutare tecta, pene discedere sub pedibus distracta humus, horrendo corruentium ædificiorum fragore misceri omnia. neque innoxiæ ruinæ erant. Tectorum casu, decussorumq; saxorum mole obtriti mortales aliquot: plures vulnerati: omnes vsque adeo exterriti; vt omnibus vrbis locis, alienatis à sensu animis, trepidarint primo homines, mox vel in morem lymphatorum, domo se eijcientes tota vrbe pauidi excurrerint, vel ad preces, ac vota conuersi, instans, vti rebantur, exitium deprecati sint. Augebat territis formidinem VVestmonasteriensis campana monstrosæ magnitudinis, ingentem sponte sonitum edens. Quæ inter terræ mugitus, decidentium fragorem parietum, confusas omnis generis vociferationes, ploratusque exaudita, publici speciem excidij faciebat, quale aduentante magni iudicij die futurum timetur. Satis constat, Collegij cuiusdam amplissimi sodales, in quo lecti tota Anglia iuuenes, ad ferme trecenos, patrijs addiscendis legibus dant operam, ad vnum omnes è mensa (nam pransuri forte assederant) vt

erant

erant mantilibus ad brachia dependulis, cultrisque arreptis, proripuisse se, diuq; amentium ritu incertos, qua quemque metus distulerat, vagatos esse. Bono vtique pullæ mentis instinctu. nam interea Collegij pars non exigua subruenti solo deiecta, ingentem eorum stragem, sub tectis, edidisset. Hæc totius Angliæ, præcipue vrbis regiæ trepidatio fuit; dum de ea expugnanda vnus Romæ ciuis imperia acciperet. At Blostonij, quod VVíltoniæ prouinciæ opidum est, per idem tempus ingens innumerabilium latratus canum exauditus, suspicionem fecit opidanis celebris alicuius venationis in siluis proximis institutæ. ergo opidanorum complures suis quoque venaticis eductis eo aduolant, vnde exauditæ erumpere videbantur canum voces. quas cursu, & contentione plurima secuti, ad siluam deueniunt quinque Blostonio milliaribus dissitam. ibi feruere venatio quasi in proximo credebatur. Hic vero inauditum miraculum. nam circumstrepente venatorum clamoribus, canumque latratibus toto saltu, nihil cernebant canum, nihil venatorum. Dum ita inter pudorem irritæ spei, admirationemque elusi aurium iudicij Blostonienses hærent; incidere fragor superne auditur. eo conuersis oculis, supra capita, mirum dictu, latrantium canum, cursuque incitatissimo aëra transmittentium, vim ingentem cernunt. Defixi miraculo diu cum

ſpectaſſent; attonitis ſimiles in opidum reuertuntur. Ita ſuſceptæ expeditionis tempus inſignitum. neque iter paulo poſt neglectum. Mons eſt in Amptonia Angliæ prouincia, quem Paroduuelum incolæ nominant. Is vbi inſigni altitudine aſſurrexit, planitiem ſummo in faſtigio, quantam editis locis ſupereſſe credi vix poteſt, late aperit. Hic paucis poſteaquam ſuperiora prodigia edita ſunt diebus; hoc eſt, vt ego interpretor, & ratio temporum declarat, ipſo initi in Angliam itineris principio; viſi repentè clara luce, die medio, viri ſexaginta numero. vultus illis decori, grauis inceſſus, veſtitus qualem Catholici ſacerdotes induunt, nigræ talares togæ. bifariam longo ordine diuiſi ex aduerſo ſibi occurrentes, data dextera in mutuos amplexus amiciſſime ruebant. Salutationem ſuauia colloquia, vt eminus intuentibus (ſtadio hi aberant) videbatur, excepere. ſub hæc, ſalutatione repetita, diuerſi eadem modeſtia abeunt. Neque vacuum continuo theatrum. eodem numero, cultu, atque ordine ſexaginta alij ſuccedentes per eadem officia ſpectaculum continuant. Vix iam hi receſſerant, cum totum corpus pulcherrimis tecti armis ſexaginta alij extitere. hi militari pompa, duabus cohortibus diuiſi circumducta, ad placidos dein inuicem congreſſus effuſi læta tandem conclamatione gratulantes diſceſſere. Spectabant è prouincia-

libus

libus complures qui eo loci, vt fit, animi causa forte conuenerant. Spectaculum adeo insitatum, repetitum toties, numero, officijsque spectrorum congruentibus, tantos tota prouincia rumores seuit; vt Londinum allatum, aulam commouerit. Georgio Horano Equiti aurato, diligenter in rem totam anquirendi negotium à senatu datur. Ille à quatuor oculatis testibus rem, vti narrata est, cognoscit; & cum fide miranti senatui nunciat. Inde ab Anglicæ historiæ scriptoribus, Ioanne Stoo in primis, in annales patriæ refertur. Iam quo tempore dimissæ Rhemis diuersa per itinera, in Angliam copiolæ, propius hæresi periculum admouebant; aliud non minus mirabile portentum in Cornubia nobilibus viris compluribus oblatum est. Equitabant hi secundum maris littus, sereno hora ante solis occasum cælo, tranquilloque mari. cum attolli paulatim ex Oceano elaboratam in castelli simulacrum nubem conspicantur. assurgebat media arx, propugnaculis succincta compluribus: mœnia pinnis, propugnacula vexillis omnifariam distinguebantur, prorsus vt descripta in militares vsus videretur. Dum cupidissime id prodigium spectaretur, euanuit; non minori portento succedente. Continuo enim alia in prægrandis onerariæ speciem efficta nubes exoritur: tanto ipsa quoque artificio expolita, vt humano maiorem fabrum præ se ferret.

ret. Malus illi cum carchesio, transuersim inde antennæ cum velis, dolones, rudentes, instrumentum nauticum omne. ad hæc præfixa circum militarium vexillorum corona, eminentia ab lateribus tormenta, pugnaturæ faciem reddebant. binæ quin etiam vtroque ab latere sequentes scaphæ eodem cultu trahebantur. Stetit hæc aliquandiu intenta prælio. Tum repente, quasi rediuiuum, quod antea euanuerat, castellum, eodem cultu redit, sed viribus instructius. Quatuor enim additas, quasi subsidio, triremes, quas & suæ à tergo scaphæ sequebantur, secum trahere videbatur. Ita instructũ, ad onerariam, in speciem lacessentis, malumque minitantis, accedit. Hæc dum peraguntur, hora abijt, nocturnæque interim tenebræ spectaculum, quo suspensi in ipso itinere substiterant viri nobiles, eripuere. Acta hæc a. d. xv. Kalen. Iunias. Et quidem interpretis, vel coniectoris hæc fortasse indigeant. Apertiorem habent, quæ sequuntur, prædictionem. Mensis Iunius, quo primum tempore nostris insula patefacta est, ingentibus fœdus tempestatibus incolas perculit: largi imbres nimbis furentibus effusi: grandines etiam memorandæ magnitudinis decidere. tempestatis, ac procellarum spiritum iam tum minari propinquis hostibus diceres, tam irrito furore, quam celeriter detonant procellæ. Sed quanto postremus actus reliquis præstat martyris

vitæ

vitæ partibus, tanto nobilioribus notatus prodigijs inclaruit. Peragebatur in VVestmonasteriensi aula iniquissimum, de quo satis multa narrauimus, iudicium. Præmeditatam attulerant, quam veluti causa tunc primum cognita, laturi erant XII viri sententiam. Retrahere voluit à cruento consilio homines sceleratos Deus. Inter audiendum vanas illas accusationes, iudex quidam ex ijs, qui supremo assident, nomine Alephus, ex altera chirotheca, qua forte manum induerat, cruorem vbertim manare animaduertit. nulla erat in chirotheca aduentitij sanguinis suspicio, nullus in manu dolor. ergo neglectim, semel iterumque fluere non cessantem abstergit: mox vbi sisti non poterat, iamque qui assederant rei nouitate mouebantur; detractam manu chirothecam sedulo, manum subinde tergit, inspicitque: cum neque vulnus vllum hinc, inde nulla cruoris causa appareret; iterum pellibus manum inserit, animumque ad causam reorum reuocat. Verum manante nihilominus cruore, ad curam tergendæ labis redit. at illa animo penitus insederat. quare dextram cruentare tota illa actione non cessauit; donec obfirmatus in concepto scelere animus, desperata sanitate; nullum ne diuinis quidem admonitionibus reliquit locum. Sequitur aliud vt tempore postremum, ita & magnitudine per se egregium, & celebritate tota Anglia notissimum.

Tamesis

Tamesis Angliæ totius fluuiorum maximus, Londinum interfluit, nauium etiam onerariarum ijs ipsis horis patiens, quibus suas dumtaxat euoluens vndas, Oceani influentis fluctibus non attollitur: nam cum æstu impellente marini fluctus accessere, non iam defluentis amnis, sed æstuantis pelagi speciem præbet. Hic adeo vastus semper, præcepsque fluuius, moriente Edmundo, mirum dictu, torpentibus vndis, cohibito cursu, immotus stetit. Defixum tunc rei miraculo Londinum. Dein omnia pene Catholicorum, addo etiam hæreticorum, ingenia tanto interpretando portento magna cum multorum laude excitata sunt. Vidi ego, audiuique non ignobilium poëtarum in eo genere acute commenta, eleganti carmine explicata, dum toto regno testatissimum prodigium ad alias, atque alias vel Campiani laudes, vel carnificum probra trahunt. neque ego rem, quæ plus videbatur admirationis habitura, quam fidei, adeo securus obtrectationis tradidissem; nisi scirem; non raritate mirabiliorem, quam testatiorem certitudine etiam apud hostes esse. Qualia & illa sunt, quæ hactenus hoc in genere congessi. eorum enim pleraque à Ioanne Stoo, vt supra monui, in annales Anglicos relata inuenio; quos, cum primum publicaret, Leicestrio inscripsit; quamquam cum eos recuderet, Cantuariensis pseudoarchiepiscopi patroci-

trocinio commendatos, totum hunc prodigiorum locum induxit. acute vel per se ipse, vel aliorum monitu hæreticorum intelligens quantum Catholicæ causæ laudis contineret. Sed improbum consilium serum, vt debuit, fuit. Vulgata iam priore editione, diuina pro nostro martyre testimonia eradi ex hominum recordatione nequiuere. Et vero decuit martyris eius victoriam, quem principem inter suos de hæresi triumphantes fœcunda martyrum Societas IESV agnoscit, & prædicat, supra naturam quæsitis siue indiciis præmonstrari, siue firmari testimonijs. Ex eo quippe bello parta erat, cuius ingruentis metus telluris concussit molem, confecti gratulatio lapsus amnium coërcuit.

DEO LAVS

B. Q. V. M. M.


ET BEATISSIMO NOSTRORVM

MARTYRVM ANGLORVM

PRINCIPI

EDMVNDO CAMPIANO.

Vna sit merces operi, beate ò
Martyrum princeps mihi, CAMPIANE,
Pectus intactum. titulis id vnum
Insere nostris.



INDEX

A

B

X Cam-

C

D

F

G

M

N

R

S

T

V

Virgi-

FINIS.



MANTVÆ, Ex officina Aurelij, & Ludouici Osannæ fratrum, Impressorum Ducalium. *Superiorum permissu.*



